BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Becanus, Martinus

Disputatio de Communione sub utraque specie

Witteberga 1610
Polem. 150 a#Beibd.2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10772183-0

De

COMMVNI-ONE SUB UTRAQ;

SPECIE DISPUTATIO

Martini Becani, Ieſuvvitiçæ Thcologiæ Doctoris ac Profeſſoris Moguntini:

cum

NOTIS NECESSARIIS;

Pro aſſerendo integro Sacramento CHRISTI, *unà cùm Confeſſione conſtantiſſimi Martyris* JOHANNIS *Huſſi de hoc articulo*,

Recognita ac edita

à

FRIDERICO BALDUINO,

SS. Theol. Doct. ac Profeſſ. Pub. in Academia Wittebergenſi.

VVITTEBERGÆ.

Sumptibus PAULI HELWICHII, Bibl.

Excudebat JOHANN GORMANVS.

M DC. X.

10772183



De

COMMVNI-ONE SUB UTRAQ;

SPECIE DISPUTATIO

Martini Becani, Iesuvviticæ Theologiæ Doctoris ac Professoris Moguntini:

cum

NOTIS NECESSARIIS;

Pro asserendo integro Sacramento CHRISTI, *imò cùm Confessione constantissimi Martyris* JOHANNIS *Hussi de hoc articulo,*

Recognita ac edita

à

FRIDERICO BALDUINO,
SS. Theol. Doct. ac Profes.
Pub. in Academia Witteber-gensi.

VVITTEBERGÆ.
Sumptibus PAULI HELWICHII, Bibl.
Excudebat JOHANN GORMANUS.
M. DC. X.

10772183



De

COMMVNI-ONE SUB UTRAQ;

SPECIE DISPUTATIO

Martini Becani, Iesuvviticæ Thcologiæ Doctoris ac Professoris Moguntini:

cum

NOTIS NECESSARIIS;

Pro asserendo integro Sacramento CHRISTI, *unà cùm Confessione constantissimi Martyris* JOHANNIS *Hussi de hoc articulo,*

Recognita ac edita

à

FRIDERICO BALDUINO,

SS. Theol. Doct. ac Profes. Pub. in Academia Witteber-gensi.

WITTEBERGÆ,

Sumptibus PAULI HELWICHII, Bibl.

Excudebat JOHANN GORMANUS.

M DC. X.

10772165

CO
ONE S
SPECI
Martini
Theolog
fess

NOTIS
Pro assere
mento CHRI
constantiss
Hus
Rec

FRIDER
SS. Theo
Pub. i

Sumptibus
Excudebat

De

COMMVNI-ONE SUB UTRAQ;

SPECIE DISPUTATIO

Martini Becani, Ieluvviticæ Thcologiæ Doctoris ac Professoris Moguntini:

cum

NOTIS NECESSARIIS;

Pro asserendo integro Sacramento CHRISTI, *unà cùm Confessione constantissimi Martyris* JOHANNIS *Hussi de hoc articulo,*

Recognita ac edita

à

FRIDERICO BALDUINO,

SS. Theol. Doct. ac Profes.

Pub. in Academia Witte-bergensi.

VVITTEBERGÆ,

Sumptibus PAULI HELWICHII, Bibl.

Excudebat JOHANN GORMANUS.

M DC. X.

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino, Dn.

JOHANNI CASIMIRO,

Duci Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Missniæ, &c.

Domino suo Clementissimo.

Gratiam & pacem cum omni prosperitate corporis ac animi à DEO Patre per JESUM CHRISTUM in Spiritu sancto.

NEQUE SANCTIUS, neque religiosius Testamentum est, Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime, quã quod Dominus Jesus, Filius Dei, in ea nocte, qua traditus est, instituit: in quo non evanidas hujus mundi divitias, sed thesaurũ omnium nobilissimum legavit omnibus Ecclesiæ civibus, remissi-

nem nimirum peccatorum, gratiam & salutem æternam, quam corporis sui traditione in mortem & effusione sanguis sui adquisivit, per q. corporis & sanguinis sui in sacrosanctâ Cœnâ distributionem nobis obtulit ac obsignavit. Testamenti hujus tabulas, verbis institutionis comprehensas, meritò sacrosanctas, puras ac illibatas custodire, imò singula ea. rum verba magna animi cum devotione revereri oportebat. Nam in hominum testamentis ita comparatum est, ut verba Testatoris maximâ cum religione observentur, ita ut Jurisconsulti doceant, verba Testamenti magis esse pon-

ſeu diſpoſitiva verborum prola-
tione omittitur, habendum eſſe
pro omiſſo. Sed ea eſt Diaboli ma-
litia, ut, quod in hominis teſta-
mento non facilè audet, id in Te-
ſtamento omniũ ſanctiſſimo ſumma cum impudentiâ facere non dubitet. Steterunt hactenus verba Teſtamenti Chriſti inconcuſſa, Accipite, Edite, Hoc eſt corpus meum: Accipite, Bibite, hoc eſt ſanguis meus : *donec Satan, ille Chriſti adverſarius, ſtrophas excogitavit, quibus ex utroque latere Tabulæ illæ oppugnarẽtur. Fecit hoc ex una parte per eos, qui partem LEGATI vellicârunt, & quantum in ipſis fuit, cor- atque ſanguinem Chriſti ê aCœna ſuſtulerunt, in quon locum ſigna duntaxat rerũ*

abſentium ſubſtituerunt: id quod Tempore Damaſceni, circa annũ Chriſti 700. primũ tentatum fuiſſe ex hiſtoriis conſtat; hodie à Sacramentario ſpiritu, maximo fit cum conatu, iis diſputationibus, quibus contendunt, corpus Chriſti abeſſe à nobis tanto intervallo, quanto cœlum abeſt à terra. Ex altero latere HÆREDES hujus ſanctiſſimi Teſtamenti allatravit Satan per Manichæos atq; Priſcillianiſtas hæreticorum non poſtremos, ut & alios quoſdam, quos Gelaſius Papa in canone ſuo Cõperimus *ſuperſtitioſos nominat, qui circa annũ Chriſti 440. integram hujus Sacramenti ſubſtantiam convellere, alteramq; partẽ*

manis, donec tandem circa annũ Domini 1415. ſpiritus Antichriſti per paterculos Cõcilij Conſtantienſis, etiam non obſtante Chriſti inſtitutione ac præcepto, Laicis uſu calicis interdixit; quod interdictum recentius conciliabulum Tridentinũ fulmine ſuo, quãvis bruto, roboravit. Utring; vis ſit Teſtamẽto Chriſti nõ contemnenda: illic in legatum, hîc in hæredes ſævitur. Utrag; vis non eſt abs g; crimine ſacrilegij: illic omnes ſubſtantia Sacramenti potiſſimã; hîc aliqui, & quidem maxima hominũ pars, parte Sacramenti potiſſimã privatur: illic pugnatur contra verba Inſtitutionis ex Rhetorũ tropologia, hîc ex inveterata, quã vocant, conſuetudine, & adſcita autoritate Eccleſiæ. Utrĩs g;

haud immeritò, ceu æreum murũ, opponimus verbum institutionis, verbum illud vivũ & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti. Nam quẽ eo in genere libentiùs audiremus, quàm Christum de seipso loquentẽ, si n. manserimus in sermone ejus, & verba ejus manserint in nobis, verè discipuli ejus erimus. Hæres tabulas Testamẽti libẽter habet præmanibꝰ: sic nos S. Scripturam ait Chrys. in Ps. 95. inprimis a. eam scripturã, ex qua hæreditati lis infertur. Cũ iis qui legatum ex testamento tropis suis auferũt, egi haud ita pridem, pro tenuitate mea, disputatione quadam publ. Accidit a. mense superiore, ut Erfurto mihi mitteretur

Joh. 15.

mia abutitur, Professoris Mogun-
tini, quam de communione sub
utraq; specie *inscripsit. Eam cum*
obiter primùm percurrerem, vi-
di Hæredum partem longè maxi-
mam ab integro Testàmenti lega-
to fraudulenter depelli, patroci-
nio quidem satis fideli, sed quod jã
antiquatis obsoletarum offutic-
rum veteramentis sordebat. Et-
si v. nostratium Theologorum pe-
rito Lectori negotium nullum fa-
cessere posset: existimavi tamen,
fortasse non abs re Reip. Christia-
næ me facturum, si in gratiã stu-
diosæ juventutis, & eorum impri-
mis, qui hoc officij genus suo quo-
dam jure â me exigebant, libellũ
illum à mendis, erroribus, & ab-
surdis, quibus scatebat, castigatũ,
Autori suo remittere̋: præsertim

cùm

cùm hæc quæstio hodie in ista Ecclesiæ Christianæ & falsò dictæ Catholicæ συμφάξει, ita trita sit, ut Pontificij ab illis, qui Papisticæ Ecclesiæ nunciùm miserunt, per Cõmunionem sub unâ, q. signo quodam militari discernantur, non secus ac olim eodem symbolo Manichæos inter Christianos agnitos esse ferunt Baronius; & ex illo Becanus, Pistorius, & alij. Scriptores Romanenses Existimo autẽ ipsi Autori istius disputationis hãc meam opellam vel eo nomine gratam fore, quòd eam integram huc transscripsi, & (ut cõtraria inter se posita clariora fiant) ipsum κατὰ πόδα secutus, NOTAS meas subjunxi, in quib. quoad sciã, nullum præterij scrupulum, qui farraginem istam intuenti incidere

potuisset. Quod si maximè Adversario hæc mea opera ingrata futura est, ejus tamen mihi conscio sum, quod non rixandi, sed veritatis studio, Examẽ hoc institui, & à convitiis ac maledictis, quoad ejus fieri potuit, libenter abstinui: in quo, si quam mihi relaturus est gratiam, mea ut sectetur vestigia, non iniquum est.

Hunc libellum, Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime, & in eo Adsertionem integri sacramenti Christi, corruptelis Esauiticis oppositam, laudatissimo Illustrissimæ celsitudinis vestræ nomini humiliter inscribo ea ratione adductus, quæ me quantumvis exterum & Illustriss. vestræ celsitudini ignotum, ab omni temeritatis suspicione fa-

cilè

cilè liberabit. Publicè jã cõstat ab annis bene multis, I.V. C. sinceræ pietatis studio seriò flagrare, nihilq; facere reliqui, ut orthodoxa, i. verè Lutherana religio ab omni Papistico & Sacramentario fermento repurgata, unà cum bonis artib. & linguarum studijs in inclyto suo ducatu floreat, & ad seram usq; posteritatẽ propagetur. In quem finẽ jam ante quadriennium Illustre Gymnasium Casimirianũ aperuit, sumptib. longè maximis, & Principe Saxoniæ b. e. sinceræ Religionis Nutritio pientissimo, dignis. Quo sane opere verè Illustri, Illustr. vestra Celsitudo rem Deo gratissimam fecit, & nõ modò isti territorio, verùm etiam universo orbi Christiano utilem: & ingrati sanè bossitis stigma

mere-

mererentur vel cives I. V. C^s. vel quivis alij, qui Remp. Christianã promotã cupiunt ex animo, si tantum beneficium pro virili sua non deprædicarent, gratag; memoriã ad posteros non propagarent. Ego sane testem, inter alios invoco V. CL^m. M. Sebastianum Leonharti affinẽ meum, virũ antiqua virtute ac fide, I^e. V^e. C. quondã à studiis, & etiamnũ à fidelissimis servitiis, quantopere lætatus fuerim, & Deo meo gratias egerim, cũ audirẽ, quod eo ipso anno per I. V. C. pandas fecit portas Ecclesiæ suæ, quo alibi magno cũ impetu ruinã quasi minitari videbantur. Lætatus sum & dixi cum Regio Psalte:

Psallite Deo nostro, psallite: Psal. 47.
psallite Regi nostro, psallite:
quoniã Rex omnis terræ Deus,

psal-

psallite sapienter, Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam. Principes populorum congregati sunt cũ Deo Abraham, quoniam Deus elevatus est apud scuta terræ. *Occasionem etiam quæsivi hactenus hoc meum gaudiũ inter alios congratulantes quasi in sinum Illustrissimæ V. Celsitudinis effundendi: Quod dum jam demũ facio, serâ quidem, sed seriâ & verâ gratulatione: cujus hanc Tractatiunculã, veluti tesseram corã I. V. C. depono: humiliter & submisse rogo, ut hoc institutum meum clementer interpretetur, & hunc libellum sereno vultu accipere nõ dedignetur. Volui etiam hâc dedicatione mea ostendere ἐμφύτιαν illam, quæ cum Illustriss. vestræ*

Celsi-

Celsitudinis Theologis mihi intercedit, inter quos bonoris gratia nomino virum Reverendum & Clariß. D. Johannem Gerhardum, cum quo sanctam & fraternam colo amicitiam. Dubium n. mihi nullum est, quin illa docentiũ concordia & in doctrina consensus sudes sit in oculis Satanæ & sq uarnarũ ejus: quem nos eo constantius tueri, & quibuscunq; modis fieri potest, testatum facere oportet, quo astutius & vehementius ille ab Adversario Pacis & veritatis labefactatur. Sed nolo cumulare plura: sufficiat jam pietatis & gratitudinis meæ declaratio, quam I.V.C. pro apertione Gymnasij Illustris debent omnes pij.

Deum

Deum Patrem Domini Nostri Jesu Christi veris animi gemitibus invoco ut I.V.C. pro ista cura Ecclesiæ omnibus corporis ac animi dotibus omnium consiliorum ac actionum felicissimis successibus divinitus benedicat: Plantarium illud Ecclesiæ suæ salutari rore spiritus sancti quotidie irriget, & ad nominis sui divini gloriã, Ecclesiæ suæ incrementum, & Illustr. Cels. vestræ immortale decus perpetuò florere simat. Dabam VViteberg æ die 4. Octobris Anno Christiano 1609.

I. V. C.

humilimè colens

Fridericus Balduinus D.

Ad

Ad Lectorem verè Catholicum & Christianum: de Titulo disputationis Iesuvviticæ.

DIsputationem de communione sub utraq; specie scripsit Martinus Becanus contra Hussitas, Lutheranos & Calvinistas: ita enim habet ἐπιγραφή; in qua haud dubiè, sub exoso Calvinistarum nomine, Beatum Lutherum, illum Germaniæ nostræ Chrysostomum, & *Iohannem Hussum* Bohemiæ Cyprianum, & cum his duobus universam Ecclesiam Christi uno quasi anhelitu simul diffamare voluit. Constat enim Jesuwitis exactè, Ecclesias nostras, quas Lutheranas vocant, quoad præsentiã & usum corporis & sanguinis Christi in sacrosanctâ Cœnâ, toto cœlo discrepare à sententia Calvini & sociorum; quos aliàs in hac disputatione, de communione sub utraq; specie, habemus ἐπωνύμους: Neq; verò hoc Confessioni nostræ fraudi esse debet; siquidem & Papicolæ contra Judæos & Arianos multa habẽt nobiscum communia, cùm tamẽ in cæteris nostri esse nolint, neq; quoad in errore perseverant, esse possint. Potuisset itaq; Becanus ista distributione Adversariorum suorum hic quidem supersedere. Calvini sententiam summariam de hoc Articulo legat, qui voluerit, *lib. 4. Instit. cap. 14. §. 47. seqq.* nobis peregrinis præsidiis

opus non est. *Iohannis Hussi* constantissimi illius Martyris confessionem in hoc frontispicio annotare placet, ex qua liquidò constabit, Becanum ea ferè omnia in hac sua disputatione q. data opera corrasisse, quę jā ante duo fermè secula solidissimè fuêre refutata, quod certissimũ malę caussæ indiciũ est. Videbis exinde pie candideq; LECTOR, uno quasi intuitu, summas Responsionũ ad illā thesiũ Becanarum farraginem. Videbis etiam, quæ sit illa hæresis, ob quā Constantissimus ille Martyr ad rogum damnatus fuit, & nos hodieq; ut catharmata & *περίψημα* mundi a novellis illis, si Deo placent, sedis Romanę tibicinibus, proclamamur, doctrinam nimirũ Christi, Apostolorum, Patrũ, & plerorumq; Scholasticorũ in Papatu. Ita ergò habet quæstio *Iohannis Hussi* de sanguine Christi sub specie vini a Laicis sumendo quam Constantiæ conscripsit priusquam in carcerem conjicerentur:

Utrum expediat Laicis fidelibus, sumere sanguinem Christi sub specie vini?

Tomo 1. operum L. Hussi fol. 42. seqq.

Videtur quòd sic; Quia Christus sic sumendum instituit omnibus fidelibus, dicens: Matth. 26. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicẽ, gratias egit, & dedit

die illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi Testamenti. Et idem habetur Matthæi 14 & Lucæ 22. Item Apostolus tradidit Corinthijs & cæteris fidelibus doctrinam, quam dixit se à Domino accepisse, ut homo Corinthius, vel alius Christianus de pane illo edat, & de calice bibat. Unde 1. Cor. 11. dicit: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunq; biberitis in meam commemorationem. Quoties enim manducaveritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaq; quicunq; manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat & de calice bibat. Ecce per totum Christi Apostolus conjunctim loquitur de utroq; Sacramento, scilicet, corporis & sanguinis Domini, quod Christi fideles in specie panis debent comedere, & in specie vini bibere: & quod non soltùm sacerdotes Corinthij debuerunt hoc facere, sed & fideles Laici, scilicet sumere corpus Domini sub specie panis, & bibere sanguinem sub specie vini, patet, quia generaliter dixit: Probet seipsum homo, & sic de pane

Fundamenta doctrinæ Hussiticæ sunt verba Institutionis.

illo edat, & de calice bibat. Et sic fecerunt generaliter Corinthij, sed multi indignè. Vnde paulò pòst subjungit Apostolus, dicens: Ideo inter vos multi sunt infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.

2. Item Gelasius Papa de con. dist. 2. sic scribit Episcopis: Comperimus, quòd quidam tantummodo sumta corporis portione, à calice sacrati cruoris abstinent, qui procul dubio, (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest provenire.

3. Ex isto decreto patet primo, quod integrum Sacramentum est totum simul Sacramentum, secundum duplicem formam scilicet panis & vini à Christo Domino institutam. Sola autem forma panis non est totum integrum Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Et secundum Lyram super 1. Cor. 11. utrumque est de perfectione Sacramenti, scilicet forma panis & forma vini, tum quia per utrumq; simul perfecte exprimitur passio Christi, tum quia utrumq; significat perfectam refectionẽ.

Totũ Sacramentũ & perfecta refectio est in utraq; specie, nõ in una tãtùm.

4. Secundo patet ex dicto Decreto, quod qui insumendo Sacramentum, unum sine alio recipit, sacrilegium committit. Nam Gelasius dicit: Quia divisio unius ejusdemq; mysterij, sine grandi sacrilegio non potest provenire. Hoc intelligendum est secundùm dictum sancti Thomæ parte 2. quæst. 73. articulo primo. Vbi possunt tritici um & vinum habere. Nam

Privatio calicis est sacrilegium.

dicit

dicit: Licèt non in omnibus terris nascatur triticum & vinum; tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti. Sed objicit ibi dicens: Hoc Sacramentum convenit sanis & infirmis, Ergo videtur quod vinum non debeat esse materia hujus Sacramenti Solvit, dicens, Vinum in modica quantitate sumtum, non potest multum ægrotanti nocere.

Concordat Albertus magnus, Ratisponensis olim Episcopus, in summa sua de corpore Domini Iesu Christi, dicit: Nec ista sunt egena elementa, de quibus dicit Paulus ad Gal. 4. Sed potius sunt elementa, in quorum effectu Deus constituit salutem nostram. Quia quamvis talibus corporalibus elementis salutem non alligaverit: tamen in illis elementis salus invenitur, & perditur vita, quando non requiruntur. Nisi articulus necessitatis, & non contemptus religionis elementum Sacramentale excludat. Et dicit: Cum objicitur nec triticum, nec vinum communiter invenitur, quia in terris aquilonaribus sub glaciali frigore constitutis nec triticum nascitur, nec vinum. Et sic cum in terris illis diffusa sit Ecclesia, videtur quòd illa pars Ecclesiæ frequenter tanto privetur Sacramento, quod valde inconveniens esse videtur, ex quo in eo consistit necessarium remedium contra peccatum. Solvit, dicens: Dicendum, quòd triticum & vinum, aut ubique sunt, aut de facili & de propinquo ad usum Sacramenti adducuntur: si autem alicubi non inveniuntur, nec aliquan-

Albertus.

Defectus vini non tollit calicem ex Sacramento Cœnæ.

aliquando, & non contemtus religionis, sed articulus necessitatis hoc efficeret, dicimus cum Augustino: quod ideo DEVS *Sacramentis suis gratiam non alligavit, quod gratiam suam Sacramentalem, etiam sine Sacramentis in habentibus fidem & devotionem ad Sacramentum operetur. Et hæc vocatur spiritualis perceptio Sacramenti. Et in hoc casu dicit Augustinus: Ut quid paras dentem & ventrem, crede & manducasti: sicut & ille in quo Baptismus non ex contemptu religionis, sed per articulum necessitatis excluditur, non amittit fructum Baptismi. sed baptisatus Baptismo flaminis in spiritu Sancto reputatur, Hæc Albertus.*

Thomas. Christi corpus & sanguis cur seorsū detur in S. Cœna.

6. *Item Sanctus Thomas parte 3. quæst. 77. articulo Secundo dicit: Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra datur sub utraque specie: quia hoc est conveniens usui hujus Sacramenti, ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum, quia corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ.*

Augustin.

7. *Augustinus, & ponitur de Con. dist. 2. Dum sumitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusq; sanguinis de latere effusio designatur?*

Ambros.

8. *Ambrosius, & ponitur de Con. dist. 2. Si quotiescunque effunditur sanguis Christi in remissionem peccatorum funditur, debeo merito semper acci-*

pere

pere, qui semper pecco, medicinam sanguinis, Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij divini sanguis testis est. Vnde ad tuitionem corporis & animæ percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra sumitur & effusus est. Cur sanguinem seorsum accipiamus,

Hieronymus in Sophoniam 1. quæst. 1. Sacerdotes, qui Eucharistiæ serviunt, & sanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam. 9. Hieron.

Gregorius, & ponitur de Cons. dist. 2. Ejus quippe corpus sumitur, ejus caro in salutem partitur populi, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Item, idem in Homilia Paschali sic inquit: Quinam sit sanguis agni, jam non audiendo sed bibendo didicistis. 10.

Cyprianus martyr glorioſus, Epistola 34. ad Cecilium de Sacramento Dominici calicis dicit: Quidam Episcopi vel ignoranter vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, & plebi monstrando non hoc faciunt, quod Iesus Christus Sacrificij hujus auctor & Doctor fecit & docuit. Religiosum pariter & necessarium duxi, de hoc literas facere, ut si quis adhuc in isto errore teneatur, veritatis luce perspecta ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertatur. Nam si sacerdotes Dei & Christi sumus, non invenio quem magis sequi, quàm Christum debeamus. Quare si in luce Christi ambulare voluimus, 11. Cyprian. Ecclesia nõ potest mutare Institutionẽ Christi.

volumus, à præceptis & monitis ejus non recedamus, & eadem, quæ Magister docuit & fecit, discipulos decet observare & facere. Neque ipse Apostolus, neq; Angelus de cœlo annunciare potest aliter, præterquam, quod Christus docuit, simul & Apostoli ejus annunciaverunt. Sed & alio loco ponit & dicit: Qui solverit unum ex mandatis illis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Quòd si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quantomagis tam magna, tam grandia, tam ad ipsius Dominicæ passionis & nostræ redemtionis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quàm quòd divinitus institutum sit, humana traditione mutare? Hæc gloriosus Martyr & Episcopus Cyprianus.

12. *Idem in Epistola dicit: sed frater charissime, id quod constat Dominum fecisse, faciamus. Si quis autem de antecessoribus nostris, vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simpliciter ejus de indulgentia Domini venia concedi. Nobis verò non potest ignosci, qui nunc à Domino moniti & instructi sumus. Hæc ille.*

13. *Idem in Epistola 14. ad Thibaritanos dicit: Scire debetis & pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput cæpisse, & occasum seculi atq; Antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prælium stemus, nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominicæ, cogitemus.*

Nec

Nec putemus talia esse, quæ veniunt, qualia fuerint illa, quæ transierunt. Gravior nunc & fortior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robusta parare se debeant milites Christi, considerantes, idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. Hoc est enim velle cum Christo inveniri, id quod Christus & docuit & fecit, imitari, secundum Iohannem Apostolum dicentem: Qui dicit se in Christo manere, debet, quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare. Hæc Cyprianus.

Idem Epistola 37. de lapsis ita dicit: At verò non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis Christi & corporis muniamus. Nam quomodo docemus eos, aut provocamus in confessione sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus, aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia Domini poculum jure communicationis admittimus? Hæc Sanctus Cyprianus. 14.

Sanguis Christi martyribus dandus.

Idem in eadem Epistola dicit: Sic incipit & passionibus Christi fraternitas in persecutionibus retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus & cruore confundi. Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere? qui nunc potest lætificare in

Ecclesia bibentem turbam, si quod bibitur Dominicam tenet veritatem. Redeat igitur in cor nostrum, non ambulasse nos in vijs Domini & abiecisse legem Dei, præcepta ejus & monita salutaria nunquam voluisse servare. Hæc Cyprianus.

16. Bernhardus. *Bernhardus Sanctus in Sermone de corpore Christi, ad Papam Petrum ait: Christus discipulis suis hujus Sacramenti formam scripsit, efficaciam explicuit, idem fieri præcepit.*

17. Fulgentius. *Fulgentius de divinis officijs dicit. Quemadmodum in corporum sensibus menti, & corpulento aeri media lingua intervenit, & utrunque conjungens unum sermonem efficit, quo in aures demisso, id quod audibile est, cito absumitur & transit. Sensus autem sermonis & in dicente, & in eo, qui audit, integer permanet & inconsumptus, sic verbum Patris carni & sanguini, quem de utero virginis assumserat, & pani ac vino quod in altari sumitur, medium interveniens, sacrificium efficit. Quod cum in ora fidelium sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur & transit: Partus autem virginis cum sibi unito verbo patris, & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconsumptus. Sed in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis & vini nihil de sacrificio pervenit. Hæc Fulgentius in lib. qui incipit: Ea quæ per anni circulum ordine constituto in divinis aguntur officijs.*

18. Guilelmus. *Guilhelmus de monte Landinio in Sacramentali suo dicit: Quod recipiendo corpus totam veritatem*

acci-

accipit, licèt non totum Sacramentum, ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto Sacramento.

Lyra. super illo verbo Prov. 9. Bibite vinum quod 19
miscui vobis, dicit quod in primitiva Ecclesia dabatur Sacramentum in utraque specie. Lyra.

Vnde in antiquo canone missæ ponitur sic: Com- 20.
municans alios, dicat perceptio corporis Domini nostri Iesu Christi prosit animæ tuæ, & corpori tuo in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum ad vitam æternam. Formula antiquæ benedictionis.

Ex jam dictis videtur, quòd licet & expedit Laicis fidelibus sumere sanguinem Christi sub specie vini. Nam licèt corpus & sanguis Christi sit sub utraque specie Sacramentali, tamen Christus non sine ratione, nec gratis instituit utrumq; modum Sacramentalem suis fidelibus, sed ad magnum profectum. Nam modus manducandi Sacramentalis sub forma panis est specialis modus figurandi & excitandi efficaciter, ad manducationem spiritualem. Et modus Sacramentalis bibendi sub forma vini, est specialis modus figurandi & excitandi mentem ex institutione Christi ad gustandum suaviter effusionem Christi sanguinis, quem effudit. Vnde Matth. 26, ex hinc dixit ipse Dominus: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et 1. Corinth. 11. Hic calix novum Testamentum est, 21 Vtriusq; speciei utilitas.

hoc

hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Et addit Apostolus: Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat Ex quo patet, quod sicut Sacerdos dignè sumens sub utraque specie, non sine causa sumit: Sic & devotus Laicus potest licitè sumere, cum eadem sit ratio, quoad sumtionem corporis & sanguinis utrobiq;

22. *Vnde Glossa Ambrosij super illud 1. Cor. 11. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine &c. dicit: Quia in morte Christi liberati sumus hujus in edendo & bibendo carnem & sanguinem memores esse debemus in hoc consecuti novum Testamentum, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradidit cœlestibus regibus.*

23. *Testamentum igitur sanguine constitutum est, quia beneficij divini sanguis testis est. Vnde ad tuitionem corporis & animæ percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra sumitur. Tamen in rei veritate utrumque pro utriusque scilicet corporis & animæ nostræ salute sumitur. Sed hæc distinctio talis sit propter convenientiam. Magis enim convenit caro corpori & sanguis animæ, quàm converso. In sanguine enim sedes animæ dicitur esse, qui sanguis effusus est, sicut*

Moses

Moses præfiguravit. Caro inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima. Ideoque non ad manducandum esse sanguinem lex præcipit. Hæc Ambrosius.

Cui conformiter dicit glossa super Decreto Gelasij: Comperimus de cō. dist. 2. Nec superflue, inquit, sumitur sub utraque specie. Nam species panis ad carnem, & species vini ad animam refertur, cum unum Sacramentum sit sanguis, in quo est sedes animæ. Ideoque sumitur sub utraque specie; ut significetur, quod utrumque Christus assumsit, scilicet corpus & animam. 24.

Thomas parte 3. quæst. 73. de Eucharistia art. 2. dicit: Quòd dicitur unum Sacramentum, quia ordinatur ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, & potus qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Iohan. 6. Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Hoc ergo Sacramentum, multa quidem materialiter est, sed unum formaliter & perfectivè. Hæc Hussius. 25. Spiritualis refectio.

Confes-

AD LECTOREM.

Confessionem hanc, considera mihi quæso, pie candideq; LECTOR, & reperies responsiones, sufficientes ad ea fere omnia, quæ in præsidium causſæ suæ adsumsit Becanus noster. 1. Scribit cap. 1. th. 3, Hussitas utriusq; speciei præceptum petere ex verbis Joh. 6, 53. Hussus noster § 1. ad verba Institutionis nobiscum provocat; & capitis sexti Johan. sub finem duntaxat & non nisi obiter meminit, cum de spirituali refectione ageret, & quidem ex allegatione Thomæ. 2 Becanus c. 6 th. 19. urget, spirituale hominis refectionē una specie sacramenti fieri posse: Hussus contrarium probat ex Lirano §. 3. & ex Thoma § 25. 3. Becanus vini defectum in aliquibus locis putat esse causam sufficientem ad prohibitionem calicis; cap. 8, th. 1. Hussus ex Thoma infert §. 4. vinum de facili ad omnes terras deferri posse, quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti. 4. propter abstemios existimat Becanus calicis usum prohiberi posse, ibid. Hussus §. 5. ex Alberti Magni sententia locum habere judicat apud abstemios illud Augustini: crede & manducasti, & spiritualem perceptionem sacramenti præfert sacramentali. 5. Valde sibi placet Becanus eo, quod totus Christus sit sub utraq; specie, cap. 6. & 7. Hussus ex Thoma probat, nihilominus sub utraq; specie & corpus & sanguinem seorsum dandum esse §. 6. & 21. 6. contendit Becanus; usum unius speciei fuisse in primitiva Ecclesia cap. 3. contrarium docet Hussus noster ex patribus § 7. & seqq. 7. Ait Becanus, usum utriusq; speciei institutum quidem esse, sed non præceptum, cap. 2. Ecclesiam autem id quod præceptum non est, præcipere posse, cap. 9. contrarium docet Hussus ex Cypriano §. 11. 8. Becanus putat, sanguinem Christi & edi & bibi posse, quemadmodum fel & bibi

bibi & manducari dicitur cap. 10. th. 5. Huſſus ex Ambroſio rationem affert luculentam, cur pane ſeorſim & calice ſeorſim utendum ſit, quia caro pro corpore affertur, ſanguis verò pro anima: ideoq; non ad manducandum eſſe ſanguinem lex præcepit §. 23. &c.

Cum ſententia Huſſi planè conſentit Lutherus noſter, qui de hoc articulo multa ſcripſit ex profeſſo, quæ videat Lector λεθηεφιλος, tom. 6 Jen. fol. 101. tom. 3. Jen. fol. 514. ſeqq. in quo poſteriore loco fol. 529. ſolidam cum ſale mixtam reſponſionem vide ad ſubtilitatem Papiſticam de concomitantia, qua nimiopere ſibi placet Becanus noſter: at ſi bonus eſt, & veritatis amans, inſpiciat per amborem Dei locum illum Megalandri noſtri, & hauddubiè bellam iſtam concomitantiam pudor & rubor concomitabitur: tot enim ſcatet abſurdis, ut vel tandē ſeipſos devorare cogantur, quicunq; credunt, manducato pane, per concomitantiam etiam ſanguinem potari. Sed remitto pium Lectorem ad ipſa Lutheri ſcripta hac de re ſolida, divina, & heroica, utut ringantur Lutheromaſtyges.

Cùm ergo ſuperioribus ſeculis à pientiſſimo martyre Huſſo, & Reverendo patre Luthero noſtro ea pleraque nervoſiſſimè refutata ſint, quæ Becanus in hunc theſium faſciculum congeſſit: mirum tibi non videatur, Lector optime, quod novi nihil attulerim in hiſce Notis meis. Fateor enim, ſimplici ſtilo ac filo ea potiſſimum reperij, quæ magnam partem (ſi à ſacroſanctis ſcripturis diſceſſero) in Huſſi & Lutheri noſtri ſcriptis ea de re inveni: mireris potiùs, quod Becanus contra Huſſitas & Lutheranos ſcribens, ea non prius ſolidè

remo-

removit, quæ duo illi teſtes veritatis contra novum illud Romanæ Thaidis delirium maſculè & conſtanter objecerunt. Sed nolo de his ſcrupuloſiùs ſolicitus eſſe. Tu, quiſquis es, cujatis es, qui pagellas has inſpexeris: utrumque hîc habes & mortem & vitam; errores & veritatem, ita ut diſcrimen cuivis ſit in proclivi: elige, quidquid volueris: ſed in eligendo, ne te decipiat ſplendidus Catholicorum titulus, ne te faſcinet propudium nominis hæretici: cogita quis Paulus inſignis ille Apoſtolus fuerit Adverſariis ſuis Act. 24, 14. ne audias affectum tuum, ne ſequaris præjudicium tuum, noli hoc facere, noli per ſalutem tuam: ſed da gloriam Deo; oſculare filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereas de via juſtâ. Fac hoc: & ita æternùm Tibi benè ſit.

DISPU-

Autor ad benevolum Lectorem.

ITerum compellandus mihi es, Amice Lector, quem anno iam præterito in simili negotio faventem habui. Vides enim, pro more nostrorum τυποθετῶν in huius quoque libelli singulis ferè paginis σφάλματα sat multa, quæ ex incuriâ & festinatione operarum irrepserunt. Quod si præesse correctioni, vel saltem invicinià subsistere mihi licuisset; haud dubiè præcavere potuissem, quod nunc quasi postliminiò in ordinẽ cogere cogor. Sed quemadmodum ante annum Hyperaspistæ mei publicatio in mutationem istam incidebat, qua Friberga Olsnicium evocabar: ita nunc huius Apologetici manumissionem illud tempus excipit, quod me in Academiam VVitebergensem revocat; ita ut & otij defectus & loci interstitium ma-

turam typographicorum erratorum restitutionem in integrum intercepe-
rit. Etsi verò non dubito, Amice Le-
ctor, quin hunc defectum nec mihi, nec
præstantissimo viro Dn. Henningo
Grosiosis imputaturus: ipsa tamen rei
necessitas postulare videtur, ut qualem-
cunque eiusmodi σφαλμάτων syllabum hîc
subiungerem. Præterquam enim, quod
& literæ & interpunctiones partim
transpositæ, partim etiam omissæ; inve-
nies semel atque iterum inserta textui,
quæ in margine ponenda erant, ut in
præfatione A 3. lin. 12. hæc verba (vide
lib. 1. cap. 6. 8. 11. & lib. 2. cap 1. 14. &c.)
ad marginem pertinent. Sic pag. 379.
lin. 12. hæc verba (fortè, quod Tobias ha-
buerit canem caudâ blandientem) &
pag. 239. lin. 23. hæc verba (sicut auri sa-
cra fames) in margine legenda sunt &c.
interdum integræ dictiones omissæ aut
transpositæ. Quapropter hæc sequentia,
quæ cursoriâ lectione observaui, appen-
dicis loco addidi, quæ, Lector Amice,
iuxta subscriptum indicem, pro tuo can-
dore corrigere, & non tam sensa verbis,
quàm verba literasq; sensu æstimare ne

dagra-

degraveris. Habebis me in re simili vicissim facilem & candidum. Vale in Domino, & menda sic emenda:

IN *Præfat*: *A 3. b linea 26. lege, Satana. l. 27. pertexat. A 4. a lin. 6. Papatus. A 5. lin. 13. duorum. A 7. b l. 4. scribendæ. A 8. l. 4. Monachus.*

In ipso libro. pag. 6. lin. 20. loquacissimam. p. 7. l. 4. etiam l. 9. Crescionium p. 8. l. 2. enucleentur. p. 11 l. 2, demonstraturum. l 8. huc p. 12. l. 15. non. p. 15. l. 16. varium. p. 26. l. 10. moderatè. p. 17. l. 7. contemnunt. p. 19. l. 24. diris. p. 21. l. 1. religiosis p. 24. l. 5. ementita. p. 25. l. 9. secius. pag. 23, in margine LVTHERI. pag. 36. l, 21. unctus. p. 30. l. 3. ad hoine. p. 61. l. 10. tam. p. 68, l. 22. dele, suo. p. 73. l. 3. subrusticus. l. 11. Monachus. p. 74. l. 8. literariâ. l. 17. histerionicè. l. 21. & p. 75. lin, 15. qua mente. p. 76. l. 6. multi. l. 15. ἱπποκλείδη l. 25. scriptam. p. 77. l. 3. papicolarum. l. 18. præcedentium. p, 78. l. 1. &c. l. 5. conatus. l. 6. sibi. l. 8. sua. p. 79. l. 1. eliminaret. p, 80. l. 2. Ioannis. p. 81. l. 12. sum. p. 82. l. 10. agnoscit, pag. 84. l. 29. Tentatore. p 89. in margine de hac sequela vide plura cap' 15. p. 91. l. 5. largitur. l. 18. acp. 95. l. 19. adæquè p. 96. l. 23. scit. p. 99. l. 3. anno 1528. pag. 100. fraterculorum. pag. 102. l. 3. monopolium. l. 12. coaxare. p. 104. l. 3. restituerunt. p. 106. l. 1. producit. l. 8. elumbem. l. 13. ductam. l. 14. Fiat. p. 107. l. 8. me. p. 108. l. 8. oscitantia. l. 20. stupidi. p. 109. l. 10. Pontificis. p. 110. l. 11. artificium. l. 13. palpabilia, l. 23. isto. p. 111. l. 17. sic, p. 112. l. 15. in hoc

modo p.113.l.12. controvertitur. p.116. l.23. olioso, l.24 vellus p.118.l.3 vafrities. l.6. συσκιὰς. l. 11. molestum. p.121.l.17. aculeo. p.124. l.11. inter Lutheranos p.127.l.12. referri.p.128. l.23. sceleratissimam. l.24. alius. p.129. l.13. conquassarat. p.130. l.23. agnoscat. l 24. ex Seneca p.133.l.3. excitus. l.7. Sylvestro. p.134.l.15. latabatur. p.135.l.12. primam l.17. synopsi p.136.l.6, Amplificatorias battologias. p.137.l.3 disputarit. p.141. l.21. solidius p.142. l.1. sensisse. l 14. coniungunt. p.144.l.18. ille. l.23. sentientium. p.145.l.15. opinaris. p.146.l.2. cur. l 4 confirmarit. p.147.l.5. factorem. l.15. precibus. p.149.l.3. eum p.160.l.2 eius. l.11. post hæc verba; dies loquitur, adde: de quibus olim Athanasius. l.17. de Lutheranis calumnientur. p.151. l.4, innitebatur. l.15. tetigisse. l 20 battologia. p.152 l.5. nil nisi. p.153. l.15. ut is, l.18. capite quinto. p.155.l.9. conscientiæ. l.19, scelerum. pag.156.l.18. execrabilis. p.157. l.1. post verbum; adhæserit, sic lege: sed utrum ob veteres idolomanias à diabolo &c. p.158, l.15 diffiteatur. p.159.l.22. dele, ne. p.160.l.2. innui. p.162. l.17. disputationis p.163.l.18. oleum operam q. p.164. l.14. histrio. p.164. in marg. cap.14. p.165.l.22. genuinus. l.23. dele, arte. p.167.l.18 Vtopia. p.168.l. illam. l.11. beatos. l.12 caussa ib. propitium. p.170 l.6. quæ. l. 14. Domino. p.171. l.18. retenta. p.173. l 8. patet. p. 174.l.1 idolomaniam. l.8. ignoscere. p 176. l.1. eas. p.176. l.23. prodiderat. p.177. l.16 v. vebant. p.128. l.7. verum. p.180. l.1. querelæ. l.17. fuisse. p.181. l.15. Apostata. p.182. l. 18. de delicto. p.185. l.5. obiectio. l.24.

l.24.arictem.p.188 ,l.1.dele homo tetatius.p.189.l. sanè.p.192.l.3.tantam. l.18.cacolycorum ritus,p. 16.193.l.10.operam.l.22. occisum, p.196. l.14,&c. p.297.l.20. expetiuit, p.198.l.2. Chrysostomus,p. 199. l.1. πάντα κατὰ l.13.exprobrabat,p.201.l.20. syllogismi. l.22 sese, p 202 l.12. eam,l. 18. secundùm,dum p.205. l.11. pristinam,p.207.l.13. gnauiter.p. 208.l.17.nam, l. 22. enthymematibus, p.214.l.21. fiat, 224.l.22. iudicat, p. 225. l.17. dele et. p. 233.l. 18.pro arte, lege,arx.p. 235.l.7 discatur. p.242. l.18,propriè. l.25.alterum. ibid in marg. categor. p.244.l.21. ea. p. 250 l.4. ornamenta. p.251. l.13.irritum.p.254. l.1. improbandam p. 255. l. 20. ipsis. 259.l.15. Res hæc.l.16. ποτηριοχλέπται. p. 261. l. 5,famam. p.262. l.2 item. l.21. patrocinium. l. 22. nugigerule. p.265,l 3. ἀπροσδόκητον. p.266. l.ult. eas. p. 273. l.17. occubuit. p.274. l. 6. impugnat. p.275. lin.17.initiati.p.277.l. 12.pro iustis, lege, nobis. p.283.l.7;HABEBAS. p.284. l.9.seuerum.p.285. l. 9: utrag. l.22. unico,quem. p.286.l. 7. num. l. 16. precatorem.l.22. palliet. p.290. l.6. de. p. 292. l. 12. quid. l 15. obelo. p 293.l.23. mandata. l.25. tripode.p. 295. l.8. φλυαρίας. p. 293.l.5. discernebantur. p.300.l.21. contingat. p.301.l.23. coaxatio. p.306. l. 4. suffitus. l. 5. sacrificium. p. 307.l.8. histrioniam. p.308.l.13.dignetur.p.309.l. 4:. demurmurantur: l.11. idiotæ. p.311. l.11. animig p.317. l. 4. Replicat. p.318.l.1. pro brutis. p. 326. l.24. iniurium hoc est.p.327, l. 1. quæ nos. p. 329.

p. 329. l. 24. calidum. p. 330. l. 7. talem. p. 330. l. 24. quod. p. 334. l. 22. indignum. l. 25. cum. p. 338. l. 7. Insultas. ibid. in mar. Antitanner. p. 339. l. 24. at. p. 340. l. 2. essentialiter. l. 24. aliquam multa. p. 341. l. 13. ingenia. p. 344. l. 8. iubent. l. 9. monent. p. 345. l. 2. suo prolixa. p. 347. l. 10. ostentet. p. 348. l. 8. chærilus. p. 350. l. 19. putat. p. 351. l. 2. Aristarchus. l. 11. dissensu, p. 353. l. 13, ex his ipsis. p. 354. l. 14. Pontificis. l. 10. referri. p. 356. l. 5. dæmoniorum. e, 359. l. 2. circumduci. l. 20. miraculis. p. 360. l. 22. plecteretur. p. 361. l. 21. inualuit. p. 363. l. 12. in Papatu vsurpatur. p. 364. l. 7. adiuratis p. 371. l. 20. Orthodoxos patres. p. 372. l. 2. reperiatur. ibid. in marg. vide, sis, parentationem. p. 373. l. 24. vatidico, p. 374. l. 13. ἀνθρωπ. p. 380. l. 15. blasphemis. p. 381. l. 4. inspirati. p. 384. l. 17. & primùm. p. 388. l. 2. nouorum. l. 6. angulum. p. 389. l. 4. sequebantur. p. 390. l. 9. hunc &c.

DISPUTATIO DE COMMUNIONE sub utraq; specie.

BECANUS.

ADversarij duplici nomine accusant hic Catholicos. Primo, quod contra apertam Christi institutionem & mandatum porrigant Laicis Eucharistiam sub una tantum specie. Secundo, quod hac ratione sacrilegium, & furtum committant: sacrilegium, quia rem sacram aliter usurpant, quàm oportet: furtum, quia privant Laicos altera specie, quæ illis debetur; & consequenter, fructum alterius speciei suffurantur. Imo, quod gravius est, inquiunt, cùm Christus sub duplici specie, 1.

panis & vini, carnem & sanguinem suum, quasi testamento nobis legaverit; Catholici, qui testamenti hujus executores esse volunt, alteram partem hæreditatis injustè subtrahunt, & sola carne jubent Laicos esse contentos. An non merito querantur Laici? an non suo jure sanguinem dari sibi poscant? Hæcilli.

NOTÆ
FRIDERICI BALDUINI.

BEnè factum, mi Becane, quòd agnoscis ea, quę in nobili illa controversia de communione sub utraq; specie, in vulgò sic dictis Catholicis jure meritoq; desiderantur. Jure meritoque inquam. Ea enim, quæ tu in hac disputatione ad præsidium causæ vestræ diligenter conquiris, vel inveterata sunt, ex Bellarmino pleraque transcripta, & jampridem solidis responsionibus excepta, quibus satisfaciendum fuisset; vel si noviter aliquid â te fuit additum, optârim sanè esse tanti momenti, ut in serijs tentationibus conscientias Laicorum erudire & tranquillas reddere possit: id quod profectò mihi, quamvis diligenter serioque meditanti, persua-

perſuadere non potuiſti. Ardua ſanè res eſt, Teſtamentum Chriſti mutilare, inſtitutionem Sacramenti convellere; verba divini Magiſtri, magiſterio humano caſtigare; Spiritum ſanctum Chriſto opponere; unius conciliabuli decreta ipſius Dei præceptis anteferre; conſcientias hominum, qui in Sacramento præcipuum quærunt ſolatium, ab expreſſis Chriſti verbis ad humana decreta, veterēq; conſuetudinem remittere; ab ea parte Sacramenti, cui inprimis Novi fœderis applicatio, obſignatio, atq; confirmatio addita eſt, prorſus depellere; eoſque inſuper, qui reſtitutionem Teſtamenti Chriſti in integrum petunt, ut hæreticos excommunicare, &c. In his & ſimilibus, quæ vel cum privatione calicis concurrunt, vel ex illa reſultant, dicam ſcribimus falsò dictis Catholicis, neq; dubium eſt, quin quamplurimi Chriſtianorū gemitus exaudiantur in medio Papatu, qui de iſto ſive furto, ſive ſacrilegio in cœlum clamitant, quibus ſanè omnibus non ex inveterata conſuetudine, non ex ſola antiquitate, ſed ex verbo Domini, & ipſiſſima hujus Sacramenti inſtitutione conſulere, operæ pretium eſt.

Quæ deſiderentur in communione ſub una ſpecie.

Nam ut præclarè ſcribit Cyprianus lib. 2. Epiſtola 3. *Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, ſed quid ille, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.* Agnoſcimus itaq; hæc, quæ proponis, eſſe accuſationis noſtræ capita, quæ tamen cætera omnia, quæ modò dixi, complectuntur. In priore autem capite miror, te Laicorum duntaxat mentionem facere, cùm latere te non poſſit, Concilium Tridentinũ etiam *Clericos nõ conficientes* excludere ab utraque ſpecie: quam particulam ne quidem verbo attingis in tota diſputatione: quod facit, ut te dubitare ferè crediderim de illa decreti Tridentini particula. Non enim arbitror, te Clericos non conficientes in numerum Laicorum rejicere: Noſti etiam Apoſtolos Domini (qui Clericos repræſentabant) tunc non fuiſſe conficientes, cum Dominus ſacram Cœnam inſtitueret, & tamen urramque accepiſſe ſpeciem. Numquid verò aliud habueris iſtius præteritionis conſilium, inquirere nolo: jam quomodo objecta crimina diluas, audiemus.

Clerici non conficientes excludunsur à communione ſub utraq;

BECA-

BECANUS.

Catholici, & facillimè se purgant ab his criminibus, & multo gravius de adversariis queruntur. Purgatio illorum est hæc. Primò, negant extare ullum Christi præceptum de utraq; specie Laicis porrigenda. Fatentur quidem, Christum præcepisse communionẽ; non tamen modum communionis sub una vel utraq; specie: sed potius reliquisse liberum, ut Laici, vel sub una vel utraq; specie communicarent. Sicut præcepit Baptismum, non tamen modum Baptismi sub una, vel trina immersione. Secundo negant, ullum sacrilegium aut furtum intervenire. Nam si non extat præceptum de utraque specie; nullum sacrilegium est, unam sine altera præbere, aut participare. Et rursum, si sub una specie non minus continetur totus Christus, quam sub utraq; ; nec minor fructus percipitur ex una, quam ex utraque (quod postea probabimus) nullum furtum aut detrimentum est, unam speciem exhibere sine altera. An II.

jure queratur Legatarius, legatũ, quod in duplici tabella descriptum est, in altera totum & integrum sibi exhiberi, sine ullo suo damno aut incommodo? Non opinor. Cur ergo querantur Laici, quando totus Christus, tota hæreditas, totum testamentum, in una specie, integrè ipsis porrigitur? Nulla causa est. Non magis, quam si quis cum parochus expostulet, quod una tantum, & non trina immersione, baptizatus ab eo sit.

BALDUINUS.

Hoc non est purgare, sed accusationem intendere. Idipsum enim in quæstione est, an non Christus in institutione Cœnæ utriusque speciei communionem præceperit? & hoc in quæstione esse, ipse fateris infra c.10. Certè id verba institutionis docent: ubi utriq; parti addidit, *Hoc facite*, nimirum edite & bibite; quod sanè est non tantùm communionem, sed & modum communionis instituere & præcipere. Liberum verò non relinquitur quod fieri præcipitur. Longè verò alia ratio est de trina immersione in baptismo: ea enim, neq; præcepta est, neq; ad

Trina immersio in Baptismo nõ pertinet ad substantiam Sacramenti.

substan-

ſubſtantiam Baptiſmi pertinet, ideo abſque vitio Baptiſmi omitti poteſt. Sed ut corpus Domini edamus, & ſanguinẽ ejus bibamus, utrumq; præceptum, ac proinde non abſque crimine læſæ majeſtatis Chriſti præcipientis negligi poteſt. De Legato & legatario quæ affers, cogita ipſe, quàm firma ſint. Nam Legatum ſacroſancti hujus Teſtamenti ſunt quidem beneficia Chriſti, ſed bonam ejus partem conſtituunt corpus & ſanguis Dominicus, quorum alterutrum ſi omitteretur, legatum ipſum mutilaretur, non enim corpore ſolo, nec ſanguine tantùm, ſed utroq; beneficia Chriſti nobis parta ſunt. Proinde ſingulæ ſpecies, non ſingulas teſtamenti tabellas, ſed unius duntaxat tabellæ partes repræſentant, quarum una ſi omittatur, teſtamentum non eſt integrum; qua de re infrà plura ſequentur.

BECANUS.

At inquiunt, ſi Chriſtus uſum utriuſq;, vel alterius ſpeciei liberũ reliquit, ut vos dicitis; quomodo audetis Laicis prohibere utrang; ſpeciem? Quod enim jure divino liberum & licitum eſt; non III.

potest jure humano prohiberi, & illicitum fieri. Hunc nodum facilè dissolvam suo loco. Nunc tantum obiter quæro, an non Christus liberum reliquerit usum unius, vel trinæ mersionis in baptismo? Ita sanè. Et tamen olim in Concilio Toletano 4. cap. 5. prohibita fuit trina mersio, & concessa una. Si hoc benè; cur alterum malè? Sed infra de hoc plura.

BALDUINUS.

Suo loco videbimus, quomodo hunc nodum solvas; Concilium Toletanum legem facere non potest, cavit illud, ne in Hispania fiat Baptismus, nisi in una mersione, ne hæreticis videatur consentire, qui tertiò mergunt, ut habet capitulum quintum. Sed trina illa mersio non facit hæresin, & si meliorem istius mutationis causam non habuit, inter cæteros Concilij errores hic quoque reputandus est, quia libertatem Christianam vellicavit. Nam ex rebus in se indifferentibus, non est facienda necessitas, quæ lege caveatur, nisi casus Confessionis hoc requirat, ubi quæ naturâ sunt Adiaphora, ex hypothesi fiunt necessaria. Talis verò necessitas

Concil. Toletan. quartum habet errores.

Adiaphora fieri possunt necessaria.

ceſſitas nulla eſt in communione ſub una ſpecie, ut lege interdicatur Laicis, licèt in ſe eſſet libera, quod tamen non concedimus, ſed præceptum Domini ſuo loco urgebimus. Cæterùm quàm malè illa clauſula adjiciatur, *ſi hoc bene, cur alterum malè?* colligi poteſt, ex alijs iſtius Concilij erroribus, ut quod in cap. 10. ſtatuitur, ut in omnibus diebus quadrageſimæ alleluja nõ cantetur, quia tempus mœroris ſit, & ut præter piſcem & olus, à cæteris carnibus abſtineatur, ut & à vino: quod Can. 14. prohibetur ſub pœna excommunicationis, ne in fine Pſalmorum canatur, Gloria Patri, ſed, gloria & honor Patri dicatur: quod Can. 16. excommunicantur Presbyteri, qui à Paſcha uſque ad Pentecoſten miſſarum tempore Apocalypſin Johannis in Eccleſia non prædicaverint: quòd conjuges quo ad fidem inæquales ſeparantur Can. 61. &c. Quàm bene itaque judicium fiat, de alijs ad fidem pertinentibus, ex Concilij decretis tam abſurdis; & an tale Concilium ex libero facere poſſit neceſſarium, judicet, qui bonus eſt.

BECANUS.

Jam, Catholicorum contra Adver- IV,

sarios querelam sic explico. In Sacramento Eucharistiæ, juxta Christi institutionem, & antiquorum Patrum consensum; hæc tria spectari possunt. Primò, symbola externa, seu species Sacramentales; Accepit panem & calicem. *Secundò, res sub iis contenta, nempè corpus & sanguis Christi*; Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. *Tertiò, fructus, qui inde percipitur*; Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. *Calvinistæ hæc omnia perdiderunt præter nuda symbola panis & vini. His solis jubent Laicos esse contentos. Carnem & sanguinem Christi tanto intervallo dicũt abesse ab iis symbolis; quanto abest cælum à terra. Et, si caro & sanguis Christi ibi non est, quis fructus inde percipi potest? Lutherani fatentur quidem adesse Christum, sed mortuum. An non mortuum censent, qui objiciunt, Catholicos solam carnem sine sanguine exhibere Laicis? qui putant, sub una specie dimidiũ Christum;*

sub

sub altera, reliquam ejus partem contineri?

BALDUINUS.

Calvinianis patrocinium non feram: quin potiùs rectè ipsis objicitur, nuda eos statuere symbola, quia ajunt, Christi carnem & sanguinem tanto abesse intervallo à cœna, quantum abest cœlum à terra: ita enim docet Calvinus in consensu de re Sacrament: sub finem, Beza in Colloquio Possiaceno, Petrus Martyr in dial. &c. Non autem absque calumnia Lutheranis tribuitur, quasi fateantur, Christum quidem adesse in Cœna; sed mortuum: quodq; doceant, sub una specie dimidiũ Christum; sub altera aliquam ejus partem contineri. Gravissima hæc sunt ἐγκλήματα, quæ nunquam probabis. Nam priùs quod attinet, qui statuere possunt, Christum in Cœna adesse mortuum, qui carnem Christi credunt vivificam? Rectè nihilominus objicitur Pontificijs, quòd carnem Christi sine sanguine Laicis exhibeant, quia Christus non sanguinis, sed carnis communionem sub pane instituit, carnis autem non mortuæ, sed vivæ & vivificantis, licèt sanguis simul nõ percipiatur.

Caro Christi in Cœna nõ est mortua.

Non

Non enim est sumtio physica sed mystica & imperscrutabilis, dependens non à natura corporis, sed ab institutione Salvatoris. Posterius nemo nostrúm usquam ita sensit, scripsit aut docuit. Distingue enim inter naturalem corporis Christi existentiam, & Sacramentalem. Secundùm illam sanè, ubi est Christus, ibi totus est, & hic etiam in Sacramenti partibus singulis: secundùm hanc autem manifesta est institutio Christi, quę cum symbolo panis corpus, cum symbolo vini sanguinẽ unitum esse ac distribui docet: quade re plura suo loco. Vide igitur, si accusare vis nostros, ne figmentum vestrorum hominum accuses: aliàs occinetur illud: Si accusare sufficiat, quis innocens erit? & ad πολυφωνίαν teipsum condemnabis.

BECANUS.

V. *Vtrique ergo merito arguendi: Calvinistæ, quia carnem & sanguinem Christi tollunt è Sacramento; & tota hæreditate dissipata, præter nudas tabellas, nihil relinquunt Laicis. Lutherani, quia non viventem & integrum, sed mortuum & dissectum Christum*

Lega-

Legatariis distribuunt; ejusque dimidiam partem sub specie panis; reliquam sub specie vini, seorsim sumi à Laicis arbitrantur. Et tamen utrig;, tam Lutherani, quam Calvinistæ, posteaquam rem ipsam sacrilegè dissiparunt; de solis symbolis litem nobis intendunt. Perinde sanè, ac illi, qui absumpto patrimonio, de nudis codicillis altercantur.

BALDUINUS.

Etiam atque etiam hortor, vide quid facias; antequam progrediaris. Putasne te vel tuis hominibus persuadere posse, Lutheranos rem ipsam testamenti sacrilegè dissipasse, de solis symbolis litē vobis intendisse? Calvinianis hoc occinas, non nobis, quos scis, de verbis testamēti Christi & earum integritate, de Christi quoad carnem præsentia in sacrosancta cœna seriò decertare, & ἀπροσώπως Calvinisticam tanquã Institutioni Christi extremè contrariam ad orcum relegare. Conscientia tua aliter sentit, sat sciò. Cave itaq; ne redeas: in calumnijs sanè exigua est victoria.

BECANUS.

Caterum, quia mihi propositum non est, VI.

est, adversariorum crimen & miseriam persequi, sed Catholicorum sententiam tueri & explicare; revocabo illam ad pauca capita, quæ hic breviter ob oculos proponam, ut uno quasi aspectu videri possint. Deinde, singula seorsim probabo. Spero fore cum Dei gratia, ut Lector perspicuè intelligat, Catholicos cum Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ primitivæ sensu & doctrina, optimè conspirare. Sunt autem hæc Capita:

I. Aliud est institutio divina; aliud præceptum divinum.

II. Christus instituit Eucharistiam sub utraq; specie; non tamen præcepit omnibus usum utriusq; speciei.

III. Imo, usum unius speciei, tum verbo, tum facto, ipse approbavit.

IV. Quod etiam fecerunt Apostoli.

V. Et post Apostolos alii usque ad nostra tempora.

VI. Et rectè. Nam sub una specie non minus continetur totus Christus, quam sub utraq;.

VII.

VII. Nec minor fructus percipitur ex una, quã ex utraq;, cæteris paribus.

XIIX. Et aliundè possunt esse legitimæ causæ, cur potius sub una, quam sub utraq; Laici communicent.

IX. Propter quas etiam statutum est ab Ecclesia, ut sub una deinceps communicarent.

X. Nec adversarii quicquam objiciunt ex scripturis, quod dilui commodè non possit.

XI. Sicut nec ex Patribus.

XII. Aut ex ratione fundata in scripturis vel Patribus.

XIII. Omnino igitur persistendum est in sententia Catholicorum.

BALDUINUS.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Sed fac periculũ, & doce hoc, quod proponis, & sic egregium πρωτοτυπίας tulisti patrocinium: vide autẽ ne stolidus amor synagogæ, in qua natus, & sodalitij, in quo educatus es, te fascinet, ut vel cæco impetu in calumnias irruere pergas, sicut ferè cepisti, vel corrupto judicio, veritatem amplecti & errori inveterato valedicere

ledicere detrectes Ita tibi tuisque vel Lectoribus vel Auditoribus perquam optimè consules. Nos te κατὰ πόδα sequemur, Spiritu pacis & veritatis comitati.

CAPUT I.

Aliud est institutio divina, aliud præceptum divinum.

BECANUS.

1. *VIdeo non paucos, etiam bonos viros, hic errare. Putant idem esse, institutionem divinam, & præceptum. Quare cum communio sub utraque specie à Christo instituta sit, quod negare non possumus; consequenter putant, etiam præceptam esse. At non ita res habet. Aliud est institutio, aliud præceptum. Multa à Deo instituta sunt, quæ tamen omnibus præcepta non sunt; ut matrimonium, ordo Ecclesiasticus, prædicatio Evangelij, officium baptizandi, & plura alia. Non enim tenentur omnes ex præcepto divino inire matri-*

matrimonium, suscipere ordines Ecclesiasticos, prædicare Evangelium, baptizare catechumenos. Vnde sicut hæc consequentia non valet: Matrimonium à Deo institutum est; Ergo omnibus præceptum est: *ita similiter hæc non valet;* Communio sub utraq; specie à Christo instituta est: Ergo omnibus præcepta est.

BALDUINUS.

Concilium Obstantiense, ut Lutherus nominavit.

Concilium Constantiense olim nimis crasse institutioni Christi diversam consuetudinē opposuit decernens, licet Christus suis discipulis administraverit sub utraq; panis & vini specie venerabile hoc Sacramentum: tamen *hoc non obstante* consuetudinē communionis sub una specie, nunc pro lege habendam esse, Basilienſe deinde & Tridentinum sciens πολ ἐκ λογῦ μαθησεως λέγει illam rationem non addit, sed institutionem quidē Domini admittit; Laicos autem à præcepto sumtionis excludit. Hinc est, quòd Becanus noster inter Institutionem & præceptum distinguit. *Multa à Deo instituta sunt*, inquit, *quæ tamen omnibus præcepta non sunt.* In qua distinctione primùm noto, quòd

 callidè

callidè omittit, pro quibus instituturum sit hoc Sacramentum: hoc enim si adderetur, facilè pateret error. Ita enim argumentor:

Pro quibus totum Sacramentum Cœnæ fuit institutum, ijs etiam præcepta est totius Sacramenti usurpatio.
Pro omnibus Ecclesiæ civibus Sacramentum totum fuit institutum.
Ergo ejus usurpatio omnibus Ecclesiæ civibus præcepta fuit.

Institutio Sacramenti est cum præcepto conjuncta.

Major argumenti liquet. Ideo enim institutum est Sacramentum, ut fiat ejus usurpatio, sine qua institutio Sacramenti est frustranea: quia Sacramentum extra usum non est Sacramentum. Ubi ergo totius Sacramenti est institutio, ibi necessariò sequitur, & vi institutionis mandatur totius Sacramenti usurpatio.

Minor sua luce lucet. Sunt enim Sacramenta secundùm utramque sui partem thesaurus totius Ecclesiæ, non ex toto Clericorum, ex parte Laicorum: aliàs gemina institutione opus esset, una, qua Clericis totum Sacramentum, altera qua Laicis pars Sacramenti usurpanda institueretur, quod notorium absurdum tamen

men infrà adducitur cap. 3. thes. 4. de quo ibi videbimus.

Deinde noto: distinctionem inter Institutionem & præceptum esse nullam, ac proinde in controversia positum id, quod probationis loco assumitur. Dico enim omnem institutionem Dei includere præceptum, quo obligantur ij, in quorum gratiam aliquid instituitur. Est enim hæc institutionis anima, ut fiat id quod instituitur, aliàs frustra institutio facta esset. Ita institutio ministerij obligat ministros ad docendum verbum & administranda Sacramenta: Institutio conjugij, obligat conjuges, ut sint duo in carne una. Institutio ordinis Levitici obligat Levitas, ut post annum ætatis vicesimum quintum ministrent in tabernaculo, Num. 8, vers. 24. & sic de cæteris. Ex quibus omnibus liquidò constat, etiamsi nullum speciale mandatum institutioni esset additum, ipsam tamen institutionem in recessu habere obligationem & præceptum, quò satisfiat voluntati instituentis.

Tertiò noto: quòd si maximè dari posset talis institutio, quæ careat præce-

pto (cujus tamẽ exemplũ nondum adhuc ullibi apparuit) alia tamen & longè sublimior ratio est institutionis sacræ Cœnæ: ea .n. est testamentaria, & ultimæ voluntatis Christi dispositiva, quæ in se & naturâ sua obligat hæredes, quã ob causam institutio Christi Lex Evangelica vocatur à Cypr: lib. 2. Ep. 3. sub finem. Prætera verbã disponẽtia, prescribentia & precipientia complectitur non tantùm in una parte, sed utraque. Utrinque enim additur: *Hoc facite*, quod præceptum non tantùm ad Christi consecrationem, & exhibitionem, sed & ad discipulorum sumtionem pertinet: unde sequitur, utriusq; speciei sumtionem esse juris ac præcepti divini. In singulis etiam speciebus habemus singularia præcepta: *Edite*, *bibite*. Non ergo potest negari, utriusque speciei sumtionem à Christo præceptam esse: sed hoc demonstrandum est Adversariis, præceptum illud non ad Laicos, sed Apostolos duntaxat pertinere, qua de re suo loco.

4. Noto postremo loco malè, colligere Becanum, ideo distinguendum esse inter institutionem, & præceptum, quia multa sint instituta, quæ non omnibus præ-

ceptæ

cepta. Licèt enim non omnibus præcepta sint, ijs tamen sunt præcepta, ad quos institutio pertinet. Jam verò probavimus, institutionem sacræ Cœnæ ad omnes Ecclesiæ cives pertinere: Ergo omnibus citra exceptionem præcepta est utriusque speciei usurpatio. Ita licèt non omnes teneantur ex præcepto divino inire matrimonium; tamen qui inire voluerint, tenentur obedire institutioni, ut nimirum tantùm duo sint caro una; imò & qui continere non valent, obligantur ad ineundum matrimonium, juxta illud: *Propter fornicationem evitandam unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæq; suum virum* 1. Cor. 7. v. 2. Sic licèt non omnes, suscipiant sacrosanctum ministeriũ, ij tamẽ, qui huic muneri se consecrârunt, tenentur ex præcepto divino prædicare Evangelium, & administrare Sacramenta, hoc enim institutio Christi ab ipsis exigit, unde D. Paulus scribit 1. Cor. 9. v. 16, necessitas mihi incumbit, ut Evangelisem: Væ enim mihi, si non Evangelisavero, & cæt.

BECANUS.

Dices; Hæc exempla benè ostendunt, 11.

Ad substantiam & essentiam baptismi pertinent hæc duo, ablutio externa; quæ fit per aquam; & forma verborum, Ego te baptizo. *Sine his non perficitur baptismus. Cætera sunt extrinseca; ut quod ablutio fiat una vel trina immersione; aqua fluminis, vel stagnante; ante vel post prandium; quod totum corpus mergatur, vel aliqua ejus pars; quod forma verborum latino, vel alio sermone proferatur; & sic deinceps. Igitur si infantem perfundas aqua, & pronuncies verborum formam; baptismus legitimus est, & effectum sortitur. Nihil autem interest, semel an ter abluas; calidam aquam, an frigidam insperges; in Jordane, an Rheno; ante vel post meridiem id facias. Hæc enim jure divino determinata non sunt. Eodem modo res habet in Eucharistiæ Sacramento. Si substantiam & essentiam illius spectes; non aliud requiritur, quã Christus sub externo symbolo panis aut vini consecrati. Si Christus non adsit (ut apud Calvinistas non adest) sacra-*

mentum

mentum nullum est. Si adsit quidem, non tamen sub symbolo panis aut vini; ne tunc quidem sacramentum est. Vtrumque ergo requiritur; & symbolum externum, & Christus illo symbolo significatus & comprehensus. Perinde est, unum symbolum, an duo sint. Non minus sub uno, quam sub duobus Christus præsens est; & quidem totus: nec minus sub uno, quam sub duobus manducatur & bibitur à fidelibus, ut deinceps patebit.

BALDUINUS.

Omnia bellè, probè, rectè. Ad substantialia Sacramenti observanda vi institutionis obstricti sumus: circumstantiæ verò pro ratione temporis & loci variare possunt: ubi tamen hoc obirer notro, quòd in baptismo periode putas, sive forma verborum latino, vel alio sermone proferatur. Etsi enim inter substantialia Sacramenti idioma linguæ non referimus, aliàs Hebræo vel Syro sermone baptisandum esset: tamen linguam vernaculam in quavis natione in peregrinam & ignotam non mutandam esse asseri-

Non est peregrina lingua baptisandum.

mus. Non enim Christus ita Sacramentum instituit, ut externo symbolo cujusvis in oculos incurrente, verbum institutionis, occultum & ignotum auditoribus relinquatur: Ideo voluit Paulus, ut benedictio ita fiat in Ecclesia, ut idiotæ dicere possint Amen, 1. Cor. 14. v. 16. & Imperator Justinianus præcepit, *ut omnes Epi-*

Novell. 123. *scopi pariter & Presbyteri non subsilentio vel tacito modo, sed clara voce, quæ à populo exaudiri possit, preces in sancto baptismate celebrent.* Sed hæc obiter.

Illud autem hic inprimis controvertitur, an Christi præsentia in sacrosancta cœna ita requiratur, ut perinde sit, sive unum sive duo symbola adhibeantur. Affirmativam statuis, Becane, sed nullam rationem addis: nos contrà, ad substantiam Sacramenti hujus pertinere dicimus, ut duæ adsint res terrenæ panis & vinum, & unâ cum pane corpus, unâ cum vino sanguis adsit & distribuatur. Ita enim Christus instituit, non ut cum pane vinum bibatur, neque ut cum vino corpus edatur, sed accepto pane, EDITE, inquit, hoc est corpus meum; accepto calice; BIBITE, inquit, hic est sanguis meus. Igitur contra institutionem Christi

facit,

facit, qui cum pane sanguine, cum vino corpore Christi in Sacramento vesci voluerit. Quam ob causam *D. Irenæus* distincte loquitur de hoc mysterio lib. 5. cap. 4. *Quando & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. &c.* Fieri igitur non potest, ut aliqua pars sacramenti omittatur, quin totum mutiletur.

Libenter autem cõcedimus, Christum non minùs sub uno symbolo, quàm sub duobus præsentem esse in Sacramento, sed non Sacramentali præsentia adest, verùm personali, secundùm quam, ut Deus & homo, nullibi incluſus, nullibi excluſus est. In sacra Cœna autem Sacramentalem corporis sui præsentiam, distributionem ac manducationem symbolo panis instituit: Sanguinis verò præsentiam Sacramentalem, distributionem ac sumtionẽ, sub symbolo vini: quæ duo nequaquam absque annihilatione institutionis, convelli aut confundi possunt. Falsum autem est, quod scribitur, ad substantiam Sacramenti non aliud requiri quàm Christum sub externo symbolo panis aut vini.

Nam

Nam Institutio non est distinctiva, quasi sub alterutra specie totus Christus Sacramentaliter distribuatur, licèt totus adsit personali præsentiâ: sed est copulativa, ut & corpus cum pane & sanguis cum vino accipiendus sit, si totum Sacramentum & totus Christus sacramentaliter accipi debet. Ideo Evangelistæ conjungunt utramque partem institutionis, particulâ similitudinis ὁσαύτως, docentes, quemadmodum corpus porrecto pane sacramentaliter edere jussit, ita ipsum, porrecto calice, sanguinem suum hauriendum dedisse: & D. Paulus qui verba institutionis in tertio cœlo repetita & declarata audit, expressè per copulativam conjunctionem verba institutionis connectit, inquiens, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, Et de calice illo bibat, &c. 1. Cor. 11. v. 28. & iterum cap. 10. v. 16. distinctim de calice & de pane loquitur, non quasi sub alterutro symbolo totus Christus sacramentaliter adsit & distribuatur, sed calicem benedictionis vocat κοινωνίαν sanguinis Christi; & panem fractum κοινωνίαν corporis Christi, quia nimirum cum pane corpus, non sanguis; cum vino sanguis, non corpus, sacramentaliter unitus est.

CAP.

CAP. II.

Christus instituit Eucharistiam sub utraq; specie; non tamen præcepit omnibus usum utriusque speciei.

BECANUS.

De hic asserimus. Vnum est Christum sub utraque specie; instituisse sacramentũ Eucharistiæ. In hoc omnes conveniunt. Et merito; quia verba institutionis clara & aperta sunt. Mat. 26. v. 26. Luc. 22. 19. Marci 14. 22. & 1. Cor. 11. 23. Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicẽs, Bibite ex hoc omnes; Hic enim est sanguis meus novi testamenti. I.

Aliorum est, Christum non præcepisse omnibus usum utriusque speciei. II.

Hic

Hic dissentiunt à nobis adversarii. Vrgent illi præceptum. Nos dicimus, nullum extare. Hoc duplicer probamus. Primò, quia adversarii in tota Scriptura nullum possunt invenire. Secundò, quia nos è contrario sufficienter convincimus, unam speciem licitè usurpari posse.

BALDUINUS.

Communio sub utraque est præcepta.

Præceptum Domini est 1. in ipsa institutione, quæ ut suprà diximus, nulla esset, nisi fieret ab ijs ad quos pertinet id, quod in verbis institutionis comprehenditur. 2. Præceptum luculentum extat in utraque parte institutionis: Accipite, Edite, Bibite. 3. Generale mandatum additur utrique parti, Hoc facite. 4. Apostolus Paulus optimus verborum Christi interpres, institutionem Christi repetit ad eos, qui invocant nomen Domini in omni loco, 1. Corinth. cap. 1. vers. 2. his ait dictum esse, Accipite, Edite, Bibite, item hoc facite in mei commemorationem, 1. Corinth. cap. 11. vers. 24. & hoc vocat traditionem à Domino acceptam vers. 23. ostendens, esse hoc præceptum

ptum Domini, pertinens non tantùm ad Clericos, ſed ad omnes qui ſe probant, verſ. 28. quiq; nomen Domini invocant in omni loco. Hæc ſunt Scripturæ loca, quibus præceptum illud Domini, quod haud immeritò urgemus, & à πολημιοκλέπλαις violari contendimus, continetur: quid contrà afferatur ſuo loco videbimus.

BECANUS.

Prius argumentum ſic urgeo. Si in ſcripturis extaret aliquod præceptum de utraque ſpecie, vel id colligitur ex ſola inſtitutione hujus ſacramenti, vel aliundè. Neutrum dici poteſt. Non prius, quia, ut ex dictis patet, multa ſunt à Deo inſtituta, quæ tamen præcepta non ſunt. Ergo ex ſola inſtitutione non poteſt colligi præceptum. Nec poſterius, quia teſtimonia Scripturæ, in quibus adverſarii putant contineri præceptum, revera non continent præceptum, ut ſuo loco latiùs; nunc breviter ſic oſtendo. Adverſarios in hac re habemus triplices. Huſſitas, Lutheranos & Calviniſtas. III.

Omnes

Omnes quidem quærunt præceptum, sed nulli inveniunt. Hussitæ quærunt in illis verbis, Joh. 6. 53. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *At reclamant Lutherani. Negant toto illo capite vel unum esse apicem, qui de Sacramento Eucharistiæ intelligatur. Ipsi ergo quærunt in illis, Lucæ 22. 19:* Hoc facite. *Sed repugnat Calvinus. Solis Ecclesiæ ministris, non Laicis, id dictum esse à Christo contendit. Calvinus quærit in istis, Matth. 26. 27.* Bibite ex hoc omnes. *Sed ad solos Apostolos ea pertinere, declarat Marcus, cum ait;* Et biberunt ex illo omnes. *Hinc concludo, adversarios non convenire inter se de præcepto. Imo, quod amplius est, ita discrepare, ut ubi alii putant se invenisse præceptum, alii negent ibi esse. Vide plura capite 10.*

l. 4. instit. c. 15. §. 20.

BALDUINUS.

Ad prius respondeo: *Multa à DEO sunt instituta, quæ præcepta non sunt:* Falsum hoc esse

esse suprà ostendimus, ita corrigendum est; multa sunt instituta, quæ non sunt omnibus præcepta, quia non propter omnes sunt instituta. Aliás patet ex superioribus, institutionem divinam obligare ad observantiam eos, ad quos pertinet.

Quomodo verò in posteriore membro probet, in Scripturis præcedente paragrapho adductis, nullum esse præceptũ, æquus Lector judicet. Diversa probationum fundamenta non tollunt probationem, sed magis firmant. Repugnet sanè Lutheranis Calvinus, quid tum? Propterea non laborabit veritas. Ex abundanti autem si maximè illud, *Hoc facite*, solis Ecclesiæ ministris, non Laicis dictum sit, nihilominus continet præceptum de utraque specie, si non accipienda, saltem distribuenda omnibus accedentibus ad Cœnam: δόσις verò sine λήψει nulla est. Si ergo δόσις præceptum habet: Ergo & λῆψις. Præterea præcepit Dominus ministris, ut faciant in administratione Cœnæ quod ipsum fecisse viderant in prima Cœna: Jam verò ipse non modò panem, sed & calicem dederat omnibus ipsi assidentibus: ergo & ministros Ecclesiæ hoc præcepto obligavit, ut nõ aliquibus tantùm,

sed & omnibus cõmunicantibus, utramque speciem distribuant.

Præceptum de calice ad solos Apostolos pertinere, glossa Papistica est, quæ alijs extra Papatum in mentẽ non venit: ideo nobis affingi non debebat. Talem .n. eam esse dicimus, quæ semet ipsam evertit; si enim solis Apostolis hoc dictum, sequitur nequidẽ Sacerdotibus Papistis imò nemini prorsus concedendũ esse calicẽ: non .n. sunt Apostoli: neq; synonyma sunt, Apostoli & Clerici. D. Paulus a. in tertio cælo edoctꝰ verba Christi refert ad omnes, qui se probare possunt, *1. Cor. 11. 28.* Sed hac de re infrà plura. Quòd autem Marcus addit bibisse eos ex calice omnes, tantum abest, ut obsit nostræ sententiæ, ut eam potiùs solidissimè stabiliat. Nam quia primæ cœnæ convivæ omnes biberunt ex calice: ideo deinceps semper omnes communicantes ex calice bibere debent: est enim prima illa cœna, ratione Formæ, regula ac Canon nostræ cœnæ. Non enim respiciendum est ad ordines & conditionem communicantium primorum, sed ad formam Cœnæ institutæ pro omnibus eam usurpantibus sive sint Apostoli sive, alij Clerici, sive Laici.

BECA-

BECANUS.

Posterius sic urgeo. A tempore Christi & Apostolorum, usq; ad annum 1412. semper liberum fuit in Ecclesia, vel sub una, vel sub utraq; specie communicare; nec unquam docuerunt Patres, utranq; speciem divino jure necessariam esse. Primi, qui hoc dixerunt, fuerunt duo Germani, Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misniensis, qui Pragæ in Bohemia hanc de communione sub utraque specie controversiam excitarunt. Ergo signum evidens est, utranq; speciem divino jure præceptam non esse. Hoc argumentum sicut & alterum, prosequar in sequentibus capitibus. Hic obiter attigisse, satis est.

BALDUINUS.

Μέγα λίαν αἴτημα. Téne affirmare ausum, annis ipsis mille quadringentis & duodecim à tempore Christi & Apostolorum semper liberum fuisse in Ecclesia, vel sub una, vel sub utraq; specie communicare? Ergóne Christus Apostolis suis liberum reliquit alterutrum, quorum utrumq; facere jussit, nimirum & edere & bibere;

& panem & calicem distribuere? Et qua fronte toties Apostolus Paulus urgere potuisset utriusque speciei perceptionem, ut quisque seipsum probet & de pane isto edat, & de calice isto bibat, adeò ut judicij reatum minitetur indignè bibentibus: nunquam hoc feciſſet Apostolus, si liberum fuisset, una duntaxat uti specie: satius.n. fuisset, libertatē illam in altera specie indicare, quā reatū judicij indignè bibentes terrere. Patres etiam nunquam docuisse scribis, utramque speciem divino jure necessariam esse. Ubi te remitto ad eos qui Patrum ea de re sententias diligenter collegerunt: quid enim actum agam? ex quibus hæc pauca tantùm annoto, quod in Orientali Ecclesia in hunc usque diem, in Occidentali Ecclesia unius tantùm speciei usus fuerit in sacra Eucharistia, quod & Cassander vester agnoscit in sua consult. art. 22. Hic ergo tot opponuntur Patres, quotquot Græcè scripserunt: e. g. quod Ignatius in Epistola ad Philadel. obsecrat & exhortatur Episcopos, Presbyteros, Diaconos & populū, ut una fide, una prædicatione, & una Eucharistia utantur: una enim est caro, inquit, Domini nostri Jesu Christi, & unus

Eucharistia sub utraque specie in primitiva Ecclesia recepta.

ille

ille ſanguis pro nobis effuſus ; unus etiam panis omnib. cõfractus,& unus CALIX, qui pro OMNIBUS DISTRIBUITUR, &c. qua exhortatione quorſum opus eſſet, ſi liberum putáſſet Euchariſtiam una vel utraque uſurpare ſpecie, quin potiùs Euchariſtiam abſq; calice non eſſe poſſe, docet *lib. 5. cap. 4. quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti* : Quod item *Hieronymus* teſtatur ad Ruſticum Monachum , in veteri Eccleſia utramque ſpeciem ſolitam deferri ad abſentes & infirmos : quod *Cyprianus* contra Aquarios ſcribit *lib. 2. Epiſt. 3.* in calice dominico ſanctificando,& plebi miniſtrando, tenendum eſſe Evangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis rationem, nec ab eo , quòd Chriſtus Magiſter & præcepit & geſſit, humana & novella inſtitutione eſſe decedendum, &c. Proinde aſſertioni Becani : *Communio ſub una ſpecie vel utraque à tempore Chriſti & Apoſtolorum usque ad annum 14. 12. ſemper libera fuit in Eccleſia*, oppono hanc: *Cõmunio ſub utraq; ſpecie à tempore Chriſti & Apoſtolorum usque*

ad annum Christi 1415. usu nunquam fuit libera, & Concilium Constantiense hanc de communione sub utraq; specie controversiam primùm excitavit: cui quòd Petrus sympatriota meus, & Jacob. Misnensis unà cum præceptore Hussо etiam cum vitæ periculo se opposuerunt, rectè atq; ordine fecerunt: fuit enim illud Obstantiense interdictum, contra expressam Christi institutionem, cui meritò cedere debebat omnis humana sapientia.

CAP. III.

Christus usum unius speciei, & verbis, & facto comprobavit.

BECANUS.

1. *QVod verbis comprobarit, patet ex capite 6. Joannis, ubi agens de fructu Eucharistiæ, non semel, sed sæpius asseruit, unam speciem prodesse ad salutem.* Si quis, *inquit*, manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Et iterum*; Non sicut

ut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternū. *Ex his & similibus verbis concludo, mãducationem carnis Christi sub una specie; prodesse ad salutem. At non prodesset, si utrag. species esset necessaria.*

BALDUINUS.

Etsi caput 6. Johannis ad ultimam Domini Cœnam non pertinet, sicut deinceps luculenter ostendã; attamen posito, sed non concesso, illud eò pertinere: nullius hili est argumentum inde petitũ pro communione Cœnæ sub una specie. Accidit enim D. Johanni idem quod Patribus nõnullis in quorũ scriptis, si nonnunquam reperiant Pontificij unius tantùm speciei expressam fieri mentionem, statim existimant, se reperisse non quod pueri in faba, patresq; sanctos unius duntaxat speciei cõmunionẽ docuisse clamitant, ut infrà patebit ex c. 11. ex Bellarmino itidem & Eccio, alijsq; hujus farinæ ad oculum monstrari posset. Sed an te latet, Becane, usitata Scripturæ synecdoche, ubi una posita specie totum Sacramentum intelligitur? aliâs eodẽ artificio colligere possem,

Ex cap. 6. Johan. nihil peti potest pro Pontificijs.

tantùm ſub ſpecie vini ſacram Cœnam uſurpandam eſſe Laicis; quia in *1. Ioh. 5. v. 8.* ubi extra controverſiam de Cœna Domini agitur, tantùm ſanguinis fit mentio: tres ſunt, qui teſtimonium dant in terris, ſpiritus, aqua, ſanguis. 2. miror, qui caput illud *6. Ioh.* tantùm ad Laicos referas, cùm Dominus ibi veſcentibus pane ſuo tribuat vitam æternam: num Clericos ab ea excludis? ſi ergo non ad Laicos ſaltem caput illud pertinet, perperam illud, quod de manducatione panis habet, Laicis tantùm tribuis. 3. miror etiam te non vidiſſe in eodem iſto capite utramque ſpeciem conjungi, & utriuſque perceptioni vitam æternam adſignari: Ita enim ſcribit *verſ. 53. Amen, amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filij hominis, & BIBERITIS ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 4. quod autem frequentius in iſto capite panis duntaxat fit mentio, inde factum, quòd paraboli-cæ iſtius concionis occaſionem Salvator petijt ex præcedente actu, ubi quinque millia hominum quinque panibus ſatiaverat, ac propter hoc miraculum quæſitus à populo ad Regnum temporale, de

alio

alio pane ipsis differebat, quem panẽ cœlitus allatum & carnem suam nominat, quam daturus sit pro mundi vita.

BECANUS.

Dices, adversarii negant in illo capite agi de Eucharistia, seu manducatione sacramentali. Respondeo. Adversarii sunt triplices, ut dixi, Hussitæ, Lutherani & Calvinistæ. Horum alii negant, ut Lutherani & nonnulli Calvinistæ: alii concedunt, ut Hussitæ, & Calvinistæ Gallicani, cum Plesſæo lib. 4. de Eucharistia cap. 2. p. 661. Illi ergo se mutuo destruunt, & nos confirmant. Et ab illis sumo tale argumentum; vel agitur in illo capite de Eucharistia, vel non agitur: Si agitur; errant Lutherani & plerique Calvinistæ, qui id negant. Si non agitur; errant Hussitæ & Calvinistæ Gallicani, qui id concedunt. Rursum, si agitur, quod nos cum tota Patrum antiquitate contendimus, res salva est: Evicimus unam speciem prodesse ad salutem. Si quis, *inquit Christus*, manducaverit ex hoc pane, vi-

vel in æternum. *Si non agitur; omnes adversarii temerarii sunt. Hussitæ quidem, quia novum dogma Eucharisticũ astruere conati sunt ex eo scripturæ loco, ubi non agitur de Eucharistia. Lutherani vero & Calvinistæ, quia hoc Hussitarum dogma amplexi sunt.*

BALDUINUS.

In hac thesi non unus latet error; sed multiplex, ut eam vix Becani esse crediderim, nisi nomen præfixum aliud persuaderet: adeò diluta sunt omnia. Quomodo enim confirmeris in opinione tua per dissensionem de cap. 6. Johan. non video: priùs enim monstra mihi in isto capite opinionem istam, quam de confirmatione istius tui argumenti glorieris. Deinde geminum adfers syllogismum cornubus ferocientem, quorum primus ipso sono nullus est: totum enim concedo, si agitur in isto capite de Eucharistia, errant Lutherani: si non agitur, errant Hussitæ; quid tum postea? si asinus habet pennas, volabit: hypothetica nil ponit, nisi posita conditione. Nos autem argu-

argumentis sat multis, sat firmis ostendere possumus, caput 6. Johannis de Eucharistiæ Sacramento non agere: quod si demonstratum fuerit, desine, quæso, argumento illo tuo contra nos, quos Lutheranos vocas, pugnare, sed alijs quibusvis objice, qui tecum ex isto capite de sacra Cœna contendunt. Primùm igitur (ut aliqua de multis seligam) Sacra cœna instituta est ea nocte, qua traditus est Dominus: capitis sexti concio anno integro præcessit. 2. manducatio Johannis 6. fit fide, non ore, est enim spiritualis, quæ fit credendo: in cœna talis describitur manducatio, quæ fit ore, non fide est enim Sacramentalis, quæ fit edendo. 3. manducatio apud Johannem, etiam extra Cœnam fit in verbo: illa in sacrâ Cœna tantùm in Sacramento. 4. Manducatio Eucharistica cedere potest ad judicium, dicente Paulo 1. Cor. 11. altera non item, nemo enim credit ad judicium. 5. Manducationem spiritualem, quæ Joh. 6. describitur, adferimus ad salutarem usum sacræ Cœnæ: Sacramentalem in sacra Cœna demum accipimus, &c. Tot parasangis & adhuc longè plurimis distat cap. 6. Johan. à Sacramento Cœnæ.

Sextum caput Ioh. non agit de Sacra Cœna.

Quod

Cur S. Patres caput 6. Iob. ad sacram cœnam referant.

Quòd autem Patrum aliqui caput hoc ad negotium Cœnæ referunt (quod tamé non tota facit antiquitas, ut perperam & nimis præcipitanter scribis: & ex Pontificijs doctoribus multi sunt, qui contrarium sentiunt, Nicol. Cusan. Epist. 7. ad Bohem. Cajetan. in part. 3. quæst. 80. art. ult. Tapper. in cap. 2. art. 15. Lovan. Corn. Jans. c. 59. harmoniæ, &c.) hoc ideo factum 1. quia unum & idem corpus est, de quo Christus *Ioh. 6.* & in institutione Cœnæ loquitur. 2. quia sanctis Patribus, non de substantia sed salutari fructu cœnæ sermo fuit, quam ob causam D. Augustinus *tract. 26. in Ioh.* cibum & potum, de quo Christus apud Johannem loquitur, vocat corporis illius societatem, nimirum, quæ facit, ut accepta carne atque hausto sanguine Christi, ipse in nobis, & nos in ipso simus, ut *Hilarius* exponit *lib. 8. de Trinit.* Fructum autem Cœnæ & spiritualem carnis Christi perceptionem, quæ fide fit, in *cap. 6. Ioh.* describi non diffitemur: interim autem quæ ad integritatem & substantiam Sacramenti pertinent, non in illo capite, sed in verbis institutionis quærenda esse docent: qua de re vide sententias Patrum in Epistola ad Oecolamp.

colle-

collectas. Hic ergo tertius tuus in ista thesi error est. Jam quartus sequitur, quòd putas, si caput illud 6. ageret de Eucharistia, te eviciſſe, unam ſpeciem prodeſſe ad ſalutem: quem errorem præcedente paragrapho refutatum eſſe confidimus. Tandem nimis temerariè agis, quòd temeritatis arguis Lutheranos, quia Huſſitarum dogma complexi ſint. Scire enim debebas, nos non propter Huſſitas, aut in ullius hominis gratiam dogma hoc amplexos, ſed propter Teſtatorem Chriſtum, cujus Sacramentum mutilare, inſtitutionem corrumpere, præceptum contemnere, nefas putavimus. Igitur, credere communionem ſub utraque ſpecie, non Huſſitarum, ſed Chriſti dogma eſt. Hactenus igitur ex verbis Chriſti nihil probaſti: jam quia ita vis, quid Chriſtus fecerit, etiam audiemus: ſed cave ne Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam ipſo facto inſtitutionem Cœnæ deſtruxiſſe fingas.

BECANUS.

Jam, quod facto unam ſpeciem Chriſtus approbarit, patet ex Luca cap. 24. 30. ubi duobus diſcipulis in Emaus III.

ſub

sub sola specie panis Eucharistiam porrexit. Sic enim scribit Lucas; Et factũ est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum. *Porrò, hunc locum intelligi de pane Eucharistico, fatetur Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, & plures alii ex adversariis. Et tribus modis probari potest. Primo, authoritate Patrum. Sic enim explicant D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium, Augustinus l. 3. de consensu Evangelistarum c. 25. & serm. 146. de tempore, & Epistola 59. ad Paulinum qu. 8. Author imperfecti operis, hom. 17. in Matthæum, in fine, Theophylactus in c. 24. Lucæ, & non pauci alii. Et quidem D. Hieronymus loco citato dicit, Christum, consecrando panem Eucharisticũ, Cleophæ domum in Ecclesiam dedicasse. Verba ejus sunt hæc*; Repetitoque itinere venit Nicopolin *(nempe Paulæ Eusto-*

Euſtochii mater) quæ prius Emaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Eccleſiam dedicavit.

BALDUINUS.

Edis hic ſpecimen veſtri ordinis, hoc eſt, hominis impudentis; dicendum enim quod res eſt. Nam locum Lucæ 24. qui veſtris hominibus, qui aliquanto audaciores ſunt, ſemper in ore eſt, in Apolog. Auguſt. Confeſs. & à quamplurimis aliis ex adverſariis de pane Euchariſtiæ intelligi ſcribis. Hem frontem tuam, mi Becane: *Qui ſunt illi quamplurimi alii ex adverſariis?* unus ſaltem nominandus fuiſſet, & feciſſes hoc, ſat ſcio, ſi occurriſſet vel unicus. *Philippum* nominas ex Apologia Confeſs. Auguſt. aſt quâ fronte nominas? Vide mihi, quæſo, locum in Apolog. *art. de utraque ſpecie Cœnæ Dominicæ*: Verba Apologiæ hæc ſunt: *Allegant locos, in quibus fit mentio panis, ut apud Lucam, ubi ſcriptum eſt, quòd diſcipuli agnoverint CHRISTVM in fractione panis. Citant & alios locos de FRACTIONE PANIS.*

Quan-

Quanquam autem non valde repugnamus, quo minus aliqui de Sacramento accipiant: tamen hoc non consequitur, unam partem tantum datam esse, quia partis appellatione reliquum significatur communi consuetudine sermonis. Edoce, quæso, quibus verbis docet hic Philippus, locum Lucæ à re laudatum de Eucharistia intelligendum esse? Loquitur de aliquibus locis, de quibus se non valde repugnaturum dixit, quin de Sacramento accipiantur: hoccine autem fateri est, Lucam de Eucharistia loqui? annon legisti illa verba: *citant & alios locos de fractione panis*? Facit profectò locus hic, ut fidem tuam in allegandis adversariorum, imò & Patrum sententijs amittas: nimis enim crassa est hæc audacia, ne quid incivilius dicam. Ad testimonium Patrum confugis: quos locum hunc ita interpretari scribis. Ubi 1. in genere scire debebas, autoritatem hominũ nullam tanti esse, ut institutioni primæ Christi præscribere, aut eam immutare possit. 2. neminem esse ex Patribus, qui ex hoc loco docere audeat, Laicis unam tantùm speciem esse dandam, aut saltem

hoc

hoc cuiquam relinquendum liberum: 3. nemini quoque in mentem veniſſe, novam hic fieri Sacramenti inſtitutionem, & quidem ſub una duntaxat ſpecie, quæ primæ ſit oppoſita, quæ ſub utraque facta eſt, quemadmodum infrà Theſ. 4. ſatis audacter ſcripſitas. 4. Patres non hiſtoriam explicare, ſed ex hiſtoria allegoriam petere, eamque ad communionem fructûs, non ſubſtantiæ Sacramenti accommodare, quod manifeſtum eſt ex *Auguſtini* loco in lib. 3. de conſenſ. Evang. cap. 25. ubi ſcribit, *neminem Chriſtum agnoſcere, ſi ejus corporis particeps non eſt. i. Eccleſiæ, cujus unitatem in Sacramento panis cõmendat Apoſtolus, dicens, unus panis, unum corpus multi ſumus, &c.* Audis Auguſtinum non de communione corporis Chriſti, ſed de Eccleſia (quæ eſt corpus Chriſti myſticum) agere, & panem Sacramentum vocare, hoc eſt, myſteriũ, more ſibi alioquin uſitato, & hoc ſano ſenſu per concinnam allegoriam multi ſcripturæ loci accommodari poſſent ad ſacram Cœnam, inprimis autem hiſtoriæ illæ, ubi Chriſtus miraculoſe ſatiavit populum, & quotieſcunque cum diſcipulis

& amicis edit : sed quomodo pia mens acquiescere potest, in tētationibus, certaq; esse, se rectè fecisse, quòd præterita prima institutione, ex allegoricis peregrinarum historiarum interpretationibus, unius tantùm speciei usurpationem sibi imperaverit ? sanè scriptura allegorica non est argumentativa. 5. Denique scire debebas, te vestrorum Doctorum benè multos habere contradicentes. Fatetur enim *Bellarminus lib. 4. de Sacram. Euchar. cap. 24.* de hoc loco duas esse Catholicorum sententias: unam eorum, qui contendunt Sacramentum Eucharistiæ datum fuisse à Christo discipulis : aliam Cornelij Jansenij Episcopi Gandavienſis, qui docet, panem à Domino benedictum in Emaus, non fuisse quidem Eucharistiam, sed figuram Eucharistiæ. Fuerunt præterea alij, inprimis Lyra, Cajetanus, Dionysius Carthusianus, Antonius Julianus, Guilielmus Widefordensis, qui locum hunc à Sacramento Cœnæ removent, & non de fractione Sacramentali, sed vulgari intelligunt : contrariam interpretationem, unus ex illis ineptam vocat, & allegationem Augustini falsam.

Pontificij dissentiunt de historia Emaustica

BECA-

BECANUS.

Secundo probatur ex ipso contextu. IV. *Ac singula penè verba ponderanda sunt.* Et factum est, *inquit. Ita loqui solet Scriptura, quando grande aliquod mysterium enarrandum est. Sequitur autem mysterium.* Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. *Iisdem planè verbis usus est Evangelista in ultima cœna describenda, Matth. 26. 26.* Accepit panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis. *Si ergo hæc verba intelliguntur de pane Eucharistico, ut omnes fatentur: cur non similiter illa? Nihil enim inter se differunt. Unde infero, Christum bis instituisse Eucharistiam: semel Hierosolymis in ultima cœna ante passionem; & semel in Emaus post resurrectionem: illic sub utraque specie; hic sub una: illic adfuisse Apostolos, qui tunc fiebant Sacerdotes; hic duos discipulos, qui adhuc erant Laici.*

BALDUINUS.

In hoc Paragrapho ludere mihi videris: vix enim credo, te rem seriam agere. Quid enim? grande mysterium semper enarrari, quoties legitur, *Et factum est?* quæ est ista subtilitas Jesuitica interpretandi scripturas? Et factum est, ut angeli discederet a Pastoribus in cœlum, inquit Lucas cap. 2. v. 15, quàm grande hic mysterium? Factum est in Sabbatho secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas Luc. 6. v. 11. & hiccine grande mysterium? & v. 12. factum est illis diebus, exiit in montem orare: factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella: Cap 8. v. 1. & factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli, &c. cap. 9. v. 18. Factū est, cùm hæc di[illegible]et, extollens mulier quædam vocem, &c. Cap. 11. v. 27. Factum est, ut morereturmendicus cap. 16. &c. Quidnam mysterij est in hisce similibusque locis quamplurimis? Familiare sanè hoc est D. Lucæ præ cæteris Evangelistis, ut historiam qualemcunque descripturus illa præmittat formulam, καὶ ἐγένετο, qua non mysterium semper aut miraculum notat (non enim solà mysteria aut miracu-

miracula ſcribit) ſed rem narratam verè ita geſtam, factamque eſſe indicat. Deinde myſterium ipſum ponis in his verbis, accepit panem, & benedixit ac fregit & porrigebat illis: & ea cum verbis inſtitutionis primæ convenire, imò ijſdem planè verbis Evangeliſtam riti ſcribis. Quid tum poſtea? An non ſimilia verba legis Joh. 6. v. 11. cùm quinque millia hominum, quinque panibus ſaturarentur; accepit panes & gratijs actis, diſtribuit diſcumbentibus, & Marc. 8. v. 6. accepit ſeptem panes, grates egit, fregit & dedit diſcipulis ſuis, &c. Nunquid propterea ibi nova eſt Sacramenti inſtitutio? Plura requiruntur ad inſtitutionem Cœnæ: nimirum inſtitutio corporis ac ſanguinis Chriſti, & mandatum ſumtionis: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, &c. quæ inſtitutio durare debet, dicente Paulo, uſq; ad conſummationem ſeculi. Nimis itaq; præcipitanter dictum: *Nihil differre verba minam ſæprimæ inſtitutionis & hiſtoriam Emmanticam. cit Inſtitu-*

Denique hic Chriſtiano Lectori perpendum relinquo, quòd hic duæ contrariæ conſtituuntur inſtitutiones Euchariſtiæ, una pro Apoſtolis, altera pro Laicis: una ante, altera poſt reſurrectionē Chriſti Chriſti.

tionem S. cœnæ, unã ante, alterã poſt reſurrectionem

sti facta, una corporis, altera panis manducationem præcipiens: quod sanè temerarium, & insolens omninò, vereq; Etaviticum παράδοξον est, nullo prorsus nitens fundamento, & cum ratione cæterorum Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti pugnans; quam sapientiam neque Patres Constantienses, neq; Basilienses, neq; Tridentini sciverunt, nemo enim eorum hunc locum Lucæ vel laudare, nedum ex eo novam Sacramenti institutionem excogitare ausus fuit. Qua nova institutione, bonus ille Cleophas cum socio de statione sua deturbantur. 1. Hactenus enim crediderunt Pontificij, duos illos peregrinatores fuisse é numero septuaginta discipulorum, quos Dominus jam pridem ad prædicandum Evangelium ordinaverat, & ad Judæos emiserat Luc. 10. jam demum post annos mille sexcentos, ferè, nescio qua sua culpa, fiũt laici. Devoranda esset hæc injuria, licèt in ipsum Dominum redundet. Sed accedit aliquantò gravior, quòd hac novâ institutione Sacramenti miselli Laici excluduntur â pretiosissimo solatio, quod ex verbis institutionis petere possunt, ubi sanguis Christi effusus essedicitur in remissionem pecca-

peccatorum: nihil hoc ad Laicos; institutio illa fuit pro Clericis, Monachis & Sacrificulis, si Deo placent. Præterea abroganda in posterum erit prima illa institutio in administratione Cœnæ, & recitanda verba institutionis hujus novæ, quam Monachi Moguntini hoc demum anno in liripipio suo invenerunt. Sed bella nimirum institutio, quæ neq; corporis, neq; sanguinis mentionē facit ullam, sed tantum fractionis panis: neq; mandatum habet vel sumtionis, vel commemorationis mortis Christi, neq; promissionem remissionis factam ritè usurpantibus. Mirum si hæc institutio novella non arrideat Calvinianis: ita de ῥητῷ verborum Cœnæ disputatio vel tandem expiraret, & panifragium majorē obtineret applausum, ingrati etiam essent novitij Photiniani: si nō minerval persolverent Moguntinis: Ita enim in posterum felicius probare poterunt, sacram Cœnam non esse institutam in remissionem peccatorum, quia nimirum in verbis novellæ institutionis nihil horum continetur. Sed benedictus Deus, qui confundit sapientes in sapientia sua: φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, Rom. 1, 22.

BECANUS.

V. *Tertiò probatur ex effectu.* Aperti, *inquit*, sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. *Vnde autem aperti sunt? Ex sumptione panis Eucharistici. Sic Augustinus l. de consensu Evangelistarum c. 25. cum ait*; Ut cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. *Et infrà*; Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus. Sed tamen à Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. *Et clarissimè Theophilactus loco citato*; Insinuatur & aliud quiddam, nempe quod oculi corũ, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, ut agnoscant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini.

BAL-

BALDUINUS.

Apertio oculorum non tribuitur virtuti panis illius, sed tantùm recitatur, quid factum fuerit, dum Christus panem, præmissa benedictione frangeret, nimirum oculi ipsorum fuerunt aperti, qui hactenus, in itinere, ne Christum agnoscerent, detinebantur. Ideò Apostolis deinceps referunt, agnitũ fuisse ab ipsis Christum, non vi & virtute panis, sed IN FRACTIONE panis, noti enim erant ritus Christi discipulis, quos inter cœnandum usurpare solebat. Hæc ex textu Lucæ clara sunt: In quam sententiam August. lib. Evang quæst. 2. cap. 57. *Quia hospitalitatem sectati sunt, eum quem in ipsa expositione scripturarum non agnoverunt, in panis fractione cognoscunt.* Papistica verò interpretatio nullum fundamentũ habet, nisi paucorum Patrum autoritatem, quos tamẽ allegoricè de fructu Cœnæ istum locum more suo exposuisse, suprà diximus, quos secuta glossa ordinaria dicit: *Omnes intelligant se Christum non agnoscere, nisi fiant participes corporis ejus, id est, Ecclesiæ.* Ex ipsis verò Pontificijs scriptor non ignobilis

Quomodo Christus in diversorio Emauntico fuerit agnitus.

Alphonſus de Caſtro: interpretationem illam ut incertam negligit, lib. 6. contr. hæreſ. ſect. ult.

BECANUS.

VI. *His tribus argumentis, nihil habent adverſarii, quod ſolidè reſpondeant. Conantur tamen effugere, ut poſſunt; & ſingulis aliquid opponunt. Ac primum dicunt, tametſi aliqui Patres illum locum intelligant de pane Euchariſtico; alios tamen eſſe, qui aliter ſentiant. Nihil ergo certi ex Patribus haberi poſſe. Ego contra ſic urgeo. Si D. Hieronymus, Auguſtinus, & alii Patres citati, qui diverſis ſæculis vixerũt, putarunt Chriſtum ſub una ſpecie dediſſe Euchariſtiam diſcipulis in Emaus; conſequenter putarunt, communionem ſub una ſpecie non eſſe prohibitam jure divino: Ergo, ſive Chriſtus dederit Euchariſtiam ſub una ſpecie, ſive non dederit; tamen Patrum antiquorum ſententia eſt, unam ſpeciem licitè uſurpari poſſe. An hoc ſatis non eſt? Nihil enim aliud hic quærimus. Et ſanè di-*

can

cant adversarii, an putent Augustinũ, Hieronymum, & similes Patres in hac re errasse, nec ne? Si putant errasse; quomodo hoc probant? Sin minus; neq; nos erramus, qui illos sequimur.

BALDUINUS.

Certum est, neque dogma, neq; disputationẽ de communione sub una specie extare in Patribus, qui constanter docuerunt, Sacramentũ Cœnæ duabus constare partibus cœlestibus, corpore & sanguine Christi: neq; uspiam legitur, quòd communionem sub una specie Laicis vel præceperint vel liberam reliquerint. Unde est illud Cypriani verè ἀξιομνημόνευτον *in lib. 2. Epist. 3: In calice Dominico sanctificando & plebi ministrando, tenendam esse Evangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis rationem: nec ab eo, quod Christus Magister & præcepit & gessit, humana & novella institutione esse decedendũ.* Augustinus ipse cum historiam Emauuticam allegoricè interpretaretur, in tract. 2. in Epistolam Johan. utriusque speciei expresè meminit:

Disci-

Discipuli ergo, inquit, *eum non agnoverunt, nisi in fractione panis. Et verè, qui non sibi judicium mãducat &* BIBIT *in fractione panis Christum agnoscit.* Unde colligitur, si Augustinus locum Lucæ de sacra Eucharistia interpretatus est, illum συνεκδοχικῶς cum pane intellexisse alteram speciem: ac proinde nemini reliquisse liberam alterius speciei usurpationem. Quod si ausi hoc fuissent Patres, apertè dico, humani quid ipsos fuisse passos. Neque difficile est hoc probare: quia contra Christi institutionem fecissent, qui non liberum relinquit unius speciei usum, sed utriusque præcepit, verbis dispositivis, Edite, Bibite, &c. quòd si ἱστῶς historiam Lucæ de sacra Cœna acceperunt, excusari itidem non possunt, quia Sacramentum quærunt, ubi neque materia, neque forma Sacramenti est integra: materia est panis & vinum, corpus & sanguis, juxta verba institutionis: forma verò consistit in δόσει & λήψει corporis ac sanguinis Dominici, juxta verba: Accipite, edite, hoc est corpus meum, accipite, bibite, hic est sanguis meus; quæ omnia atque singula in historia Lucæ monstrare non possunt. Verùm nolumus insultare eorum erroribus, quorũ mira-

miramur ingenia, inquit alicubi Hieronymus de Origene, & ſcimus Patres ipſos interpretationes ſuas nõ ęquiparâſſe Scripturis Canonicis: ſed ſe homines eſſe agnoviſſe, qui errare poſſint atque decipi. In quam ſententiam Auguſt. in Epiſtola III. ad Fortunatum: *Non quorumlibet diſputationes, quantumvis Catholicorum & laudatorum hominum pro Scripturis Canonicis habere debemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid ex eorum ſcriptis improbare vel reſpuere.*

BECANUS.

Alterum effugium eſt; ex illis verbis, Accepit panem, benedixit, fregit, porrexit, *non poſſe quicquam convinci. Nam ſimilia verba reperiuntur Marci 6. 41.* Acceptis quinq; panibus, & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos. *At hæc verba non intelliguntur de pane Euchariſtico, ſed de panibus per miraculum multiplicatis: Ergo nec priora neceſſe eſt intelligi de pane Eu-*

VII.

ne Eucharistico. Facilis est responsio. Christus in Evangelio ter legitur benedixisse panem. 1. in multiplicatione panum & piscium. 2. in ultima cœna. 3. in Emaus. Et semper aliquid mysterii seu miraculi operatus est. Vnde evidenter concludimus, benedictionem Christi circa panem, fuisse semper efficacem, & alicujus mysterij seu miraculi effectricem. solum potest esse quæstio de qualitate mysterij, an scilicet in illa triplici benedictione, quæ diverso loco ac tempore à Christo facta est, semper fuerit idem mysterium seu miraculum, an potius diversum. Hoc autem non aliunde melius, quam ex circunstantijs, & Patrum interpretatione discerni potest. Et quidem in prima benedictione, satis constat ex ipso contextu, fuisse miraculum multiplicationis panum. Nam quinque panes ita multiplicati sunt, ut ex iis non modo satiata fuerint quinque millia virorum, sed etiam collecti duodecim cophini fragmentorum, quæ supererant. In altera, quæ facta est in ultima

tima cœna, panis & vinum, in carnem & ſanguinem Chriſti converſa ſunt, ut patet ex illis verbis; Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. *Et ſic Patres omnes interpretantur. In tertia, quæ in Emaus contigit, de uno conſtat, de altero diſputamus. Conſtat oculos diſcipulorum apertos fuiſſe. Hoc enim Scriptura expreſsè dicit. Diſputamus, an hoc tribuendum ſit pani Euchariſtico? Affirmant Auguſtinus & Theophylactus. Et quæ cauſſa eſt, cur negemus? Adverſarii nullam adferunt. Nam illi, qui putant ideo dici, apertos fuiſſe diſcipulorum oculos, quod Chriſtum agnoverint ex peculiari modo frangendi panem; non cauſam, ſed fabulam adferre mihi videntur. Unde enim habent, Chriſtum ſolitum eſſe tam artificiosè panem frangere manibus, ac ſi cultro diviſus eſſet? Evangeliſtæ nihil hujus meminerunt. Mera conjectura eſt. Et ſanè, ſi quid tale præter morem aliorum feciſſet Chriſtus, Phariſæi minimè diſſimulaſſent.*

Solent

Solent enim, etiam in rebus minimis illum reprehendere, si quid novum, aut alienum ab eorum consuetudine usurparet. Non ergo discipuli agnoverunt Christum ex artificiosa panis fractione, quæ nullum in Scriptura fundamentum habet; sed ex sumptione panis Eucharistici, cujus ea vis fuit, ut eorum oculi, non solum corporis, sed etiam mentis, repente fuerint illuminati.

BALDUINUS.

Nulla nos cogit evidens necessitas, ut dicamus benedictionem Christi semper importare aliquid mysterij seu miraculi: Nam Marc. 10. v. 16. impositis manibus benedixit infantibus ad se allatis, nec quidquam secutum est vel miraculi vel mysterij. Et benedictio panis ipsi familiaris fuit, nõ ex peculiari aliquo consilio, sed communi illa ratione, quia cibi omnes sanctificantur per verbum & precationem, 1. Tim. 4. v. 5. sed esto, quærat qui voluerit miraculum in triplici benedictione panis, de qua Becanus agit: modò non semet ipsum mirabilem reddat & ridiculum. In prima benedictione con-

cedo

concedo subsecutum fuisse miraculum. In secunda miraculum fingunt Pontificij, nimirum conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, per annihilationem & transsubstantiationem Elementorum, ut Concilium Tridentinũ exponit: ubi revera multa concurrunt miracula, hoc est, deliria Mõnachalia; ut, quod quantitas panis subjectum fit corporis, accidens accidenti accidit; accidens non in substantia, sed substantiã cõsistit sub accidente, ut Innocentius III. Papa lib. 4. myster. missæ cap. 11. interpretatur, &c. Quæ miracula & deliria omnia recitare saltem, est refutare. Et tamen ita omnes Patres verba institutionis, Hoc est corpus meum, interpretatos gloriatur Becanus. Magnum verbum, ferè dixerim, magnæ nugæ. Unanimis enim orthodoxæ Ecclesiæ doctrina fuit, Eucharistiam constare duabus rebus, seu duplici alimento, 1. terreno, pane scilicet & vino; 2. cœlesti, corpore & sanguine Christi, ut est apud Irenæum lib. 4. c. 34, & Augustinum in sententijs Prosp. Hesy. lib. 20. in cap. 8. Levitici, Bernhardum in serm. de Cœna. Quòd autem conversionis aut mutationis aliquando memi-

Eucharistia duabus rebus constat.

runt, non intellexerunt annihilationem partis terrenæ, quam nonnulli transelementationem vocant, qualis docetur in Papatu, sed mutationem Sacramentalem, qua Elementa externa à communi & vulgari usu ad usum mysticum & Sacramentalem consecrantur. In tertia benedictione mirum est, Becane, quod à nobis causas petas, cur urgeamus, panis Eucharistici eam fuisse vim, ut discipulorum oculi, non solùm corporis sed etiam mentis, repente fuerint illuminati. Tibi enim affirmanti incumbit probatio. Nobis illud & Magicum & incredibile videtur: De talibus enim inusitatis tacente Scriptura nihil nobis affirmare licet. Si ad potentiam Dei confugeris, idem tibi respondeo, quod olim Tertullianus Praxeæ hæretico, cap. 10. adverſ. Praxeam: qui cùm diceret: *Ergóne difficile fuit Deo ipsum se & Patrem & Filium facere? annon scriptum est, ego & Pater unum sumus?* Respondit Tertullianus: *Dei posse velle est: Dei non posse nolle: Potuit, si voluisset: Deus pennis hominẽ ad volandum instruxisse potuit, quemadmodum & milvis præstitit: non tamen*

men quia potuit, statim & fecit, &c. si tam abruptè in his præsumptionibus nostris, ut amur hac sentẽtia, quidvis Deo consingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Quod autem falsè rides eorum sententiam, qui existimant, Christum à discipulis fuisse agnitum, quia tam artificiosè solitus fuerit panem frangere manibus, ac si cultro divisus esset: non nobis ægrè facis, sed vestrorum hominũ sententiam rides: Ita enim habet Cajetanus Cardinal. super c. 24. Lucæ: *In sola fractione agnitus dicitur inferius, ut intelligamus fractionem fuisse miraculosam: hoc est, quod frãgebat panem manibus; sicut alij interdum cultello.* Habuit hoc Cajetanus ex *Lyrano*, qui in eundem locum sic scribit: *Accepit panem, benedixit & fregit, & porrigebat illis, sicut consueverat facere ante passionem: sic enim frangebat panem, ac si scinderet cultello.* Quidquid autem sit de modo fractionis, nos simpliciter dicimus, discipulis consuetudinem Christi nõ fuisse ignotam, ac proinde ex ea, qualiscunque etiam fuerit, ipsum agnovisse: in quam sententiam ita scribit Lyranus: *Aperti sunt oculi eorum, quia voluntariè se eis ostendit in effigie, quæ erat cognoscibilis ab eis: & cum hoc cognoverunt eum per modum fractionis panis.*

Quomodo discipuli Emauntici Christum agnoverint.

BECANUS.

VIII. *At hæc dicta sunt contra eos; qui negant loco citato agi de Eucharistia. Sunt alii, qui quidem id concedunt (quia vident non nisi temerè negari posse) negant tamen inde colligi usum unius speciei; quia volunt in fractione panis per synecdochen intelligi totum Sacramentum sub utraque specie. Sed hoc neque probare possunt ex Scriptura; nec ab ullo probato authore asseritur; nec omninò verisimile est. Nam Lucas scribit, Christum porrecto pane benedicto, evanuisse ex oculis eorum. Ergo post porrectum panem non consecravit calicem.*

IX. *Vnum objici potest; quia si non admittimus hic synecdochen; ergo sicut ex illo loco colligimus usum unius speciei, sic etiam colligere poterimus consecrationem unius speciei. At Catholici negant, unam speciem sine altera consecrari posse: Ergo etiam negare debent, Christum sub una specie Eucharistiam porrexisse. Respondeo. Si spectemus*

Etsi naturam rei, fateor unam speciem sine altera consecrari posse, & hoc à Christo factum esse. Si spectemus jus Ecclesiasticum, una species sine altera consecrari non debet; & hoc volunt Catholici. De hac re iterum dicemus sequenti capite.

BALDUINUS.

Jampridem Pontificijs πολημιοκλέπλαις hoc objectum fuit, si Christus in hospitio Emauntico sacram Cœnam administravit, sequi, vel ipsum feciſſe contra decretum Conciliabuli Tridentini, in quo sub interminatione anathematis prohibetur unius speciei absque altera consecratio, & sacrilegum Sacerdotem vocat Cajetanus, consecrantem panem & non vinum: vel certè decretum illud Papisticum impium sacrilegum & blasphemum esse. Jam demum audimus conciliationem Christi & Antichristi: ex natura rei unam speciem sine altera consecrari posse, & hoc feciſſe Christum: sed secundùm jus Ecclesiasticum illud fieri non debere. Quis verò dedit Ecclesiæ jus illud, quod Christus ipsemet ex vestra sententia non usurpavit, & quo jure con-

scientię onerantur ad servandum sub pœna exconimunicationis, id, quod neque Christus ipse fecit, neque faciendum præcepit? hoc nimirum est, autoritatem imò tyrannidem hominum Christi præceptis & consuetudini anteponere, & pluſquã divina potestate, naturam rerum immutare. Ecclesia est Christi Sponsa, quæ voluntate Sponsi sui ne quidquam recedit: unde colligimus, Ecclesiam Romanam Papisticã non ampliùs esse Sponsam Christi, quia à voluntate ejus recessit. Naturam rerum inverrere penes solum est conditorem: dum ergo Papa naturæ rei suum opponit decretum & quidem sub anathematis fulmine, hoc ipso fatetur, in se impletum esse illud Apostoli: Filius perditionis sedet in templo Dei, ostendens se tanquam Deum. 2. Thessal. 2. vers. 4.

CAP. IV.

Tempore Apostolorum usurpata fuit una species.

Hoc

BECANUS.

HOc colligitur ex duplici Scripturæ loco. Prior habetur Act. 2. v. 42. I. *ubi Lucas sic scribit:* Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorũ, & communicatione fractionis panis, & orationibus. *Hic agi de Eucharistia, fatentur adversarii, Lutherus in serm. de Eucharistia, Kemnitius in 2. p. Examinis, Calvinus lib. 4. inst. cap. 17. §. 35. & plures alij. Et probatur variis modis. Primo, quia fractio panis conjungitur cum doctrina & oratione, tanquam res sacra cum rebus sacris. Non ergo sermo est de communi & domestico pane, sed de Eucharistico. Secundo, quia Syrus interpres sic vertit;* Et communicabant in precibus & fractione Eucharistiæ; *ut etiam fatetur Beza in illum locum, & Plessæus lib. 1. de Eucharistia cap. 1. pag. 37. Tertiò, quia Lucas agit de novis Christianis; qui tùm primum erant conversi & baptizati. Sic enim loquitur;* Qui ergo receperũt sermonem ejus *(nem-*

pè Petri concionatus) baptizati sunt. *Et statim subdit*; Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis. *Porrò constat, Neophytos in primitiva Ecclesia, statim post baptismum solitos esse Eucharistiam percipere. Quartò, quia non fuisset magna laus, primos illos Christianos perseverasse in cibo corporali. Imò, nec opus fuisset Lucam id commemorare, quia satis constat, homines quotidie vesci solere pane domestico. At rarum, & commemoratione ac laude dignum est, perseverare in oratione, & Eucharistiæ perceptione.*

II. *Posterior locus habetur Act. 20. 7.* Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinū, protraxitq; sermonem usque ad mediam noctem. *Hic etiam agi de Eucharistia, fatentur Calvinus & Beza in illum locum, Kemnitius in 2. pag. Examinis, & plures alii. Et patet ex ipso contextu. Primo, quia diligen-*

diligenter notatur dies ille, quo in primitiva Ecclesia solebant fideles convenire ad sacros conventus, qui erat prima sabbati, id est, dies Dominicus, ut docent Justinus apol. 2. & Augustinus epist. 86. ad Casulanum. Secundò, quia Paulus dicitur mansisse Troade septem diebus, & expectasse primam sabbati, ut tunc fideles convenirent ad frangendum panem in magno cœnaculo, lampadibus copiosissimè illustrato; idque nocturno tempore, propter metum persecutionis. At certè, si fuisset prophanum convivium, quorsum adhibitæ essent tot ceremoniæ?

BALDUINUS.

Necesse non est, ut hos duos locos de celebratione Eucharistiæ accipiamus. Nam Act. 2. extant argumenta luculenta, locum istum de vulgaribus epulis, quæ instituebantur è bonis in commune collatis, accipiendum esse: 1. enim distinguit Lucas κοινωνίαν seu communionem, qua voce usitatè Cœna Dominica exprimebatur, à fractione panis: ergo fractio panis non significat Sacramentum cœnæ,

Locus Act. 2. non de Cœna agit.

sed divisionem bonorum, quæ in commune contulerant, sicut infrà exponitur vers. 45. dividebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. 2. quia v. 26. dicitur, fregisse ipsos panes κατ' οἶκον, quod de distributione bonorum inter egenos rectissimè intelligitur, quia Sacramentū Eucharistiæ, non κατ' οἶκον, sed in conventibus publicis administrabatur, teste Paulo 1. Cor. 11, v. 33. 3. nominat Apostolus expresse panem alimentarium, qui fractus, seu distributus fuit. Ait enim v. 46. frangentes panem μετελάμβανον τροφῆς accipiebant cibum seu alimentum; ergo non fuit panis Sacramentarius. Quibus rationibus moti Chrysostomus & Oecumenius locos illos Actor. 2. & 20. interpretati sunt nō de Sacramentali Cœna, sed communi epulo primitivæ Ecclesiæ, in quo bona in commune collata distribui solebant, prout quisq; opus habebat. Quòd si qui de Eucharistia locos illos acceperunt, de quo magnopere nō litigabimus; certum tamē est, neminem ob hunc locū communionem sub una specie Laicis obtrusisse, ita ut abrogaretur altera, id quod in quæstione est, & in sequente paragrapho probare conatur Becanus. Ita enim dicit.

BECA-

BECANUS.

Nunc ex utroq; loco sic argumentor. Lucas utroq; loco agit de pane Eucharistico, ut adversarii fatentur; & nullam facit mentionem calicis: Ergo omnino credibile est, primos illos Christianos, qui ex Judæis conversi erant, sub una specie communicasse. Dices forte, Lucam in fractione panis totum Sacramentum per synecdochē intellexisse. Sed ex triplici capite refelli id potest. Primo, quia sine fundamento asseritur. Et, si sola conjectura sufficit; cur non similiter dicamus, Christum in deserto, non solum panes, sed etiam aliquot cados vini multiplicasse? Tam enim hoc, quam illud dici potest. At neutrum probatur. Secundo, quia Lucas diversis locis, ter minimùm, si non sæpius, agit de usu Eucharistiæ; & nunquam meminit, nisi unius speciei. Quis autem credat, præsertim in re tanti momenti, nunquam illum propriè, sed semper synecdochicè loqui voluisse? Tertiò, quia Judæi, qui recens conversi erant, adhuc

III.

in

in multis rebus ſervabant legem Moſaicam, juxta illud Actor. 21. 20. Vides frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis? *At ſecundum legem Moſaicam ſolebant in ſacrificiis abſtinere à ſanguine & vino. Ergo planè veriſimile eſt, eos etiam in Euchariſtiæ perceptione à calice abſtinuiſſe. Et ſanè de quibuſdam id negari non poteſt. Multi enim ex iis erant Nazarei, qui non bibebant vinum, nec radebant caput, uſq; ad vinum dierum voti ſui, ut patet Actor. 18. 18. & Act. 21. 23. De his quæro, an durante voto, ſumpſerint Euchariſtiam, nec ne? Sumpſiſſe conſtat, quia Lucas de omnibus dicit;* Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. *At durante voto non ſumpſerunt calicem: Ergo in ſola fractione panis communicarunt. Hinc jam patet diſcrimen inter Lucam & Paulum. Lucas in Actibus ſemper loquitur de una ſpecie; Paulus in priori*

Corin-

Corinthiaca, de utraque. Quare hoc? quia Judæi, de quibus agit Lucas, solent in suis sacrificiis abstinere à vino & sanguine. Corinthij contra, solent uti calice dæmoniorum. Vtrique ergo, cum primum cõversi sunt ad Christum, ne statim cogerentur contra suam consuetudinem facere, poterant suo arbitratu, hi sub utraque, illi sub una specie communicare.

BALDUINUS.

Si maximè de Eucharistia locos illos acciperemus; non tamen inde probari potest, eam sub una tantùm specie fuisse administratam. Rectissimè enim diceremus, Lucam mentione panis, usitatissimo Hebraismo totum sacrum convivium notasse. Hebræis enim לֶחֶם panis omnem cibum in convivio appositum significat, ut Gen. 43. Non poterunt Ægyptij cum Hebræis comedere panem. Sic David ad Mephiboseth ait: tu comedes panem in mensa mea, 2. Samuel. 9. & Job 42, comederunt panem in domo Job: sic de Christo legimus Luc. 14 quòd venerit in domum Pharisæi ad edendum panem.

panem. Est ergo hæc synecdoche scripturæ usitatissima. Ad ea, quæ Becanus in contrarium affert sententiam, breviter respondeo: Ad 1. Non sine fundamento asseritur hic synecdoche 1. enim certissimum est, D. Lucæ Hebraismos præ cæteris Evangelistis fuisse familiares, fuit enim D. Pauli comes & discipulus, à quo & habuit Evangelium suum, ut testatur Tert. lib. 4 cont. Marcionem. Paulus verò in scriptis suis plenus est hujusmodi Hebraismorum, Eph. 6, 5. 1. Cor. 2, 3. 2. Cor. 1, 12 Col. 4. 5. talis Hebraismus est in Luca & Paulo in recitatione verborum institutionis: hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine, quod cæteri Evangelistæ dicunt: Hoc est sanguis meus Novi Testamenti. 2, quòd etiam hoc in loco Hebraismus ille sit, non conjecturis nitimur, sed manifesta ratione: quia de Apostolo Paulo expressè scriptum est, Actor. 20. quod & ipse fregerit panem, & primùm gustaverit: vini nulla fit mentio: fuit autem Paulus tunc temporis conficiens, ut Papistæ loquuntur, quia fregit panem: non ergo potuit tantùm panem gustare, aliàs incurrisset in excommunicationem Papisticam, qui sacrilegium vocant,

ant, si conficiens panem duntaxat sumeret, & non etiam calicem, ut habet Cajetanus in 3. part. Summæ qu. 80. art. 12. 91. Necessariò itaque admittendum est, Paulum etiam alteram speciem accepisse, aut decretum illud Papisticum esse fulmen ex pelvi, impium & temerarium. Ad. 2, cur Lucas tantùm panis meminisse voluerit, jam dicta causa est, quia loquitur juxta morem Hebræorum, præsertim, quia adhuc incertũ est, an Sacramenti Eucharistici actionem ibi descripserit. Ad. 3. Nulla ratio est: Judæi abstinebant in sacrificijs à vino: ergo etiam in Eucharistia. Missificatoribus hoc occine, Becane, non Eucharistiæ. Missam enim putatis esse sacrificium; in qua tamen bibunt sacrificuli, ergo contra legem faciunt, quòd prohibent in sacrificio bibere. Eucharistia verò non est sacrificium sed Sacramentũ: siquidem in sacrificio nos aliquid offerimus Deo; hic ipse nobis offert corpus & sanguinem suum: In sacrificio fit immolatio victimæ, in Eucharistia victimæ semel oblatæ communicatio: neq; Deus ullum aliud à nobis requirit sacrificium, quàm cor contritum, & laudis sacrificium, & novam creaturam, ut Nazianzenus loquitur,

Eucharistia est Sacramentum, non sacrificium.

Naza.

Nazarei. Nazareos quod attinet, si perseverarunt in doctrina Apostolorum, utiq; non mutilarunt Sacramntuem : hoc enim à Domino acceperunt Apostoli, quod auditoribus suis tradiderunt, ut nimirum omnibus qui se probare possunt, quique nomen Domini invocant in omni loco, panem edendum atq; calicem bibendum præbeant, docente Apostolo Paulo 1. Corinth. 11. Quòd votum habuerint, id quidem legitur, Act. 18. & 21. quia Synagoga Judæorum cum omnibus hujusmodi ritibus & consuetudinibus cum honore erat sepelienda, quòd autem durante voto Eucharistiam sumserint, sub una specie, nuspiam reperitur exemplum : neque legitur, quòd à Cana abstinuerint. Paulus utique ad tempus Nazaræus fuit, Act. 21. neque tamen verisimile est, ipsum vel à totò Sacramento, vel ab altera ejus specie abstinuisse. Quid ergo? Nimirum ceremoniæ Veteris Testamenti jam jam abrogandæ, meritò cedebant institutioni & præcepto Testamenti Novi. Poterant itaque Nazaræorum leges observare, ubi lex Christi non contradicebat. In institutione verò Cœnæ lex Christi de bibitione vini contradicebat Nazaræis. Ergo vo-

go votum Nazaræorum legi Christi meritò cedebat. Præterea, priùs, quàm exemplum afferatur eorum, qui ea usi fuerint, docendum est, Christum contra unius speciei communionem vel instituisse, vel permisisse, vel Apostolos contra Christi institutum & permissum, eam invexisse; aliàs semper regerimus, si manserunt in doctrina Apostolorum; ergo etiam usum Sacramenti integri, quem Apostoli à Domino suo acceperant, retinuerunt. Quæ cum ita sint, falsissimum est, quod in conclusione additur, Lucam ideo de una specie loqui, quia agat de Judæis: Paulum de utràque, quia agit cum Corinthijs, qui gentiles erant. Hoc nimirum est mysterium illud, quod aliquantò clariùs eloquitur Emanuel Vega disp. de distribut. Eucharist. th. 23. *Iudæos sub cibi tantum, gentiles sub cibi & potus i specie sacrificij participes fieri, Apostoli decreverunt.* Ubi verò hoc factum, vos viri Pontificij? ubi hoc decretum Apostolorum exstat? Et si ità decretũ fuit ab Apostolis, qui fit quòd decretum Concilij Tridentini hodie calicem nostris hominibus invidet? Non utique sumus Judæi, dicebat bonus ille senex Welserus in nupero colloquio

Ratisbonensi. Igitur Pontificij aut fateantur, Laicos nostros Judæos appellatos esse, quod magno suo cum malo fatebuntur; aut calicem ipsis suffuratum restituant, quia gentiles sunt.

BECANUS.

IV. *Dices; Si ita est, ergo Apostoli consecrarunt Eucharistiam sub una specie: quod Catholici negant fieri posse. Respondeo. Quid mirum, Apostolos hoc fecisse, cum ante illos hoc fecerit Christus in Emaus, ut paulò ante ostensum est? An non liceat discipulis imitari magistrum suum? Nec soli Apostoli, sed etiam alii post tempora Apostolorum id fecerunt. Refert Volaterranus lib. 7. geographiæ, Innocentium 8. permisisse Norvegis, ut sine vino, sacrificium celebrarent. Et plerique Catholici docent, non malè id permissum esse. Tametsi enim jure Ecclesiastico prohibitum sit, unam speciem consecrare sine alia: tamen neque ex natura rei malum est: & in jure Ecclesiastico potest fieri dispensatio. De hac re videri possunt Genebrardus in Chronico, Claudius re-*

us repet. 10. de Eucharistia, cap. 3. Tapperus art. 13. Joannes Hesselius de communione sub utraq; specie, Henriquez lib. 8. Theologiæ moralis cap. 13. num. 1. Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 14. in fine, Gabriel in Canone Missæ lect. 13. dub. 3. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 1. Angelus V. Eucharistia, num. 20. & plures alii.

BALDUINUS.

Si Apostoli consecrantes Eucharistiam sub una specie, imitati sunt Christum magistrum suum: sequitur, Pontificios sacrificulos non esse Christi discipulos, quibus id per fulmen Pontificium non licet: imò neque Papam in infimo subsellio discipulorum Christi sedere, qui id sub excommunicationis & sacrilegij pœna prohibere audet, quod Christus fecit. Nos utique rectè fieri judicamus, si non unius sed utriusque speciei fiat consecratio: utramque enim complectitur Sacramenti hujus institutio. Sed ex hoc ipso concludimus: neque Christum, neque Apostolos, quorum discipulos nos profitemur, sub una specie consecrásse:

aliàs discipuli Christi & Apostolorum nos profiteri nõ possemus; si contra præceptum & consuetudinem ipsorum faceremus, neq; absque vulnere conscientiæ aliquid sub anathematis pœna imponi posset, cujus contrarium, aut diversum saltem à Christo & Apostolis factitatum esset. Recollige te, mi Becane; Aut idem fit in Papatu, in consecratione Eucharistiæ, quod fecerunt Christus & Apostoli; aut diversum. Si idem; falsum & impium erit decretum Papisticum, quod excommunicat consecrantes sub una specie: hoc enim Christum & Apostolos fecisse dicunt: si diversum, non sunt discipuli Christi, qui hoc faciunt: Ipse enim scribis hic: *Annon liceat discipulos imitari magistrum?* utique licet, Becane, & propterea de sententia nostra nõdum cedimus, quia contrarium aut diversum in Christo Magistro nostro nondum vidimus. Vos ipsi quoque si decretum vestrum sartum tectum conservare, & discipuli Christi audire vultis, concedatis necesse est, Christum non sub una, sed utraque specie consecrásse. Omnino enim existimamus, consecrationem non esse humani seu Ecclesiastici tantùm juris, in quo dispensari queat,

queat, sed juris divini, quod dependet ab institutione Christi, in qua præcepit, ut hoc faciamus, quod ipse fecit in sui commemorationem, usque ad finem seculi. Temerarium itaque esset, si utriusq; speciei fieret consecratio, & Christus unam tantùm (ut volunt Pontificij) consecrâsset: Impium itidem, si unius duntaxat speciei fieret consecratio, & Christus utramque consecrasset, quod nostræ docent Ecclesiæ. Certè Apostolus Paulus à Christo se accepisse ait, quod Corinthijs tradidit. Tradidit autem inter cætera hoc etiam, quod calix consecrandus sit: Poculum, inquit, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, 1. Cor. 10? Ergo nobis ab illa consuetudine, nulla dispensatione discedere licet.

CAPUT V.

Post tempora Apostolorum fuit una species in usu.

BECANUS.

HOC duplici ordine ostendi potest. I.
Primò, incipiendo à primitivæ Ec-

cleſia, & progrediendo uſque ad noſtra tempora. Secundò, incipiendo à noſtris temporibus, & progrediendo ad primitivam Eccleſiam. Hunc poſteriorem ordinem ſervabo, ad redarguendum Pleſſæi mendacium. Is enim lib. 1. de Euchariſtia cap. 10. pag. 126. dicit, communionem ſub una ſpecie tam novam eſſe, ut hominis ætatem vix excedat. At ſanè multo antiquior eſt. Viguit enim tempore D. Thomæ Aquinatis, qui ante trecentos annos de ea ſic ſcribit: Eſt multarum Eccleſiarum uſus, ut populo communicanti detur corpus Chriſti ſumendum, non autem ſanguis. *Et iterum;* Quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam nō ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus ſacramenti adhibeant; ideò providè in quibuſdam Eccleſijs ſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à ſacerdote ſumatur. *Et rur-*

ſum

sum; Nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine. *Et denique*; Potest à populo sumi corpus sine sanguine. Nec exinde sequitur aliquod detrimentū, quia sub utraq; specie totius Christus continetur. Hæc ante 300. annos scripta sunt.

BALDUINUS.

Nihil veriùs scriptum fuit unquam à Plessæo, quam hoc ipsum, quod tu mẽdacium vocas, Becane, quemadmodum à nostris Theologis ad oculum demonstratum fuit, & astipulatur è Pontificijs Wilhelmus Lindanus, qui lib. 4 Panop. Evangelic. cap. 26. apertè scribit: *Quòd per Occidentem fuerit populo utraque administrata species, in proximum ferè usque ad Constantiensis Synodi seculum, haud prolixa opus habet demonstratione*. Scimus autem in quibusdam Ecclesijs aliquoties tentatam, tandem autem circa annũ Domini 1250. paulatim introductam fuisse communionem sub una specie, propter metum periculi effusionis, quo nomine mutilationem illam excusare conatur Thomas.

Sed & hoc certum est: 1. Fuisse hanc doctrinam non omnium Ecclesiarum, neq; omnibus obtrusam, quemadmodum in Concilio Constantiensi jam vix ante hominis ætatem factum, idcirco Thomas ipse non de omnium, *sed de multarum Ecclesiarum usu loquitur, & in quibusdam Ecclesiis providè servari* scribit, ut populo sanguis sumendus non detur. 2. hoc quoque pio homini perpendendum relinquo, an in periculo effusionis, tanti momenti ratio sit, quæ contra institutionem Christi alteram Sacramenti partem deroget sumentibus, quasi verò infantibus Cœna detur, aut quasi ab ebrijs aut morionibus porrigatur, qui, quid faciant, nesciant, aut quasi Sacramentum extra usum, hoc est, quãdo non accipitur, Sacramenti rationem habeat. Et tamen hæc ratio olim in Concilio Constant. & Basilienſi obtinuit mutilationem Sacramenti, & Thomam ad apologiam hujus Sacrilegij permovit. 3. Illud etiam certum est, Thomam, licèt introductæ illi consuetudini nonnihil cesserit, opposuisse tamen ei ex verbis institutionis rationes satis prægnantes, quòd longè convenientiùs, meliùs & utiliùs sit, sumere Sacramentum sub utraque, quàm sub

Rationes Thomæ, quòd melius sit communio sub utraq;, quã sub una.

ſub una ſpecie, quales habet part 3. quæſt. 80. art. 12. 1. Quòd utiliùs ſit, Sacramentum ſumere integrum, ſeu integrè, quàm imperfectum & partialiter. 2. quia utiliùs ſit tangi à Chriſto pluribus diverſarum rationum inſtrumentis, quã uno tantùm. 3. quia utiliùs ſit ſpiritualiter comedere & bibere, quàm comedere tantùm. 4 Si ſacerdos aliquid utilitatis ſpiritualis adquirit, ſumendo ſub ſpecie vini, proportionaliter Laico quoque dignè ſumenti utiliùs erit ſumere ſub utraque quàm ſub una. 5. ab Exemplo Chriſti, qui etiam Judam communicaverit ſub utraque ſpecie. 6. ab Exemplo primitivæ Eccleſiæ, in qua populus communicabat ſub utraq; ſpecie 1. Cor. 11. 7. ab Exemplo diuturnæ proſecutionis, quia hujusmodi conſuetudo perſeveraverit tempore martyrum & pacis. 8. quia communio ſub utraq; ſit conſona inſtitutioni & integritati hujus Sacramenti. 9. Quia communio ſub utraq; congruit per ſe, communio autem ſub una tantum per accidens, propter ineptiam quorundam communicantium. Ex his rationibus concludit Thomas: Ergo magis expedit Eccleſiæ Chriſti communicare populum ſub utraque ſpecie, quàm ſub

ſpecie panis tantùm. Sic quæſt. 76. art. 2. ſcribit: Quamvis totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie: non tamen fruſtra. Nam primo quidem hoc valet ad repræſentandam paſſionem Chriſti in qua *ſeorſum* fuit ſanguis à corpore ſeparatus; unde & in forma conſecrationis ſanguinis fit mentio de ejus effuſione. Secundò, hoc eſt conveniens uſui hujus Sacramenti, ut *ſeorſum* exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſanguis in potum. Tertiò quantum ad effectum, ſecundùm quod ſuprà dictum eſt, quòd corpus exhibetur pro ſalute corporis, & ſanguis pro ſalute animæ, &c. Similia loca Alexandri de Ales, Alberti Magni, Petri de Palude, Durandi, &c. Dominus Chemnitius ex Caſſandro collegit: qui omnes novitiæ iſti conſuetudini nonnullarum Eccleſiarum contradixerunt: ea ibi vide & reſponde, Becane.

Chemnit. part. 2. Exam. fol. 133.

BECANUS.

II. *Plus dicam. Ante annos mille & amplius, publicè in Eccleſia, tam Orientali, quàm Occidentali, uſitata fuit communio ſub una ſpecie. Hoc variis argumentis convinci poteſt. Primum*

eſt,

est, quia Manichæi cõmunicabant olim inter Catholicos (occulta hæresi) sub una specie, ut testatur Leo Papa sermone quarto, de Quadragesima: Et tamen nunquam ab Ecclesia propter hanc causam reprehensi aut damnati sunt: Ergo communio sub una specie non putabatur olim illicita. Hoc ita confirmo. Augustinus, Epiphanius, & alii plures, accuratè scripsunt de erroribus Manichæorum. At nemo illorum scripsit eos errasse, quod sub una specie communicarent: Ergo communicare sub una specie, non censebatur tunc erroneum. Hoc Argumentum magni ponderis apud omnes esse debet. Quis enim credat vigilantissimos Ecclesiæ Pastores, qui in notandis & cõfutandis hæreticorum dogmatibus fuerunt diligentissimi, non notaturos fuisse hoc dogma de una specie, si putassent esse hæreticum? At nemo, ut hæreticum, notavit.

BALDUINUS.

Fundamenti loco hîc ista ponatur maxima: Non ex consuetudine Ecclesiæ

sed

ſed ex inſtitutione Chriſti de integritate Sacramenti judicandum eſt, licèt itaque demonſtraveris, antiquiſſimum eſſe unius ſpeciei uſum in Eccleſia (quod tamen nunquam facies) nihil tamen probabis, quòd hodie idem ſit faciendum. Non enim Eccleſiam, ſed Chriſtum ſequimur, qui eſt ſupra Eccleſiam. Hoc poſito: Primùm videris, Becane, quid reſponſurus ſis Caſſandro veſtro, qui articulo 22. ſuæ conſultationis tibi apertè contradicit his verbis;

Communio ſub una non eſt adeò vetus.

De adminiſtratione ſacroſancti Sacramenti Euchariſtiæ ſatis compertum eſt, univerſalẽ Chriſti Eccleſiam in hunc usque diem: Occidentalem verò ſeu Romanam mille ampliùs à Chriſto annis in ſolenni præſertim & ordinaria hujus Sacramenti diſpenſatione, utramq; panis & vini ſpeciem omnibus Eccleſiæ Chriſti membris exhibuiſſe. Item: *Hæc conſuetudo in Eccleſia latina mille ampliùs annis tenuit, ut tam populo quàm Clero in celebratione miſſarum poſt myſteriorum conſecrationem, ſeorſim corpus, ſeorſim ſanguis Domini præberetur.*

tur. Hæc ille. De Ecclesia Orientali testantur Græci in suis literis ad Theologos Wirtenberg: Φαῖτε δή ἀ. ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν: καὶ καλῶς λέγετε, ὅτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐκπελλόμεν, τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων, οἱ ἄξιοι ὄντες. Vide igitur, quàm verè scripseris; ante annos mille & ampliùs publicè in Ecclesia tam Orientali quàm Occidentali usitatam fuisse communionem sub una specie. Audiamus jam quomodo id probes. Manichæi hæretici primum tibi argumentum suppeditant: ominosum hoc; ne fortè dogma ipsum tale sit, quales sunt, quos veluti auxiliares copias advocas ad tuendum illud: sed videbimus. A Manichæis hæreticis unam tantùm speciem fuisse usurpatam, imò mutilationem Cœnæ originem suam ab illis habere, libenter concedimus, & Leonis Papæ testimonium contra Papam libenter accipimus: quòd autem ab Ecclesia nunquam propterea reprehensi fuerint, negamus: sufficit nobis contra Pontificios, Leonem & Gelasium graviter hanc ob causam animadvertisse in Manichæos, quemadmodum ex locis in sequenti paragrapho notatis

Acta Const. pag. 129.

Manichæi autores communionis sub una.

notatis liquidò constat, ubi indignum os & sacrilegium tribuitur mutilatoribus illis sacrosancti Sacramenti, & Manichæi tales esse dicuntur, in quos observandum sit, ut habet admonitio Leonis, utpote qui dissensiones & offendicula prẽter doctrinam, quam didicerunt orthodoxi, faciunt. Quòd si maximè tacuisset Ecclesia illorum temporum, non tamen sequeretur, communionẽ uniꝰ speciei esse licitã. Ecclesia enim dormitare potuit, & errorem paulatim obrepentem non animadvertere. Recurrendum itaque est ad regulam; non ex consuetudine Ecclesiæ, sed ex institutione Christi judicandum est de Sacramento. Quòd autem Augustinus, Epiphanius & alij non scripserunt, Manichæos errâsse quòd sub una specie communicarent: quid hoc juvat Pontificios? neque enim approbârunt ut rem benè gestam. Manichæi moliebantur saltem illum errorem in Ecclesiam invehere, publicumq́; feciſſent, nisi in primo statim conatu restitissent Pontifices, Leo & Gelasius? Certum autem est Scriptores Ecclesiasticos, eos hæreticorum errores ex professo notare voluisse, quibus publicè Ecclesiam turbârunt. Interea factis

est,

est, quòd Augustinus & Epiphanius causam tanti sacrilegij inter hæreses Manichęorum referunt, videlicet, quôd Christi corpus ex sangue crederent, & vinum fel Draconis nominârunt, à cujus usu aliás eam ipsam ob causam abstinebant. Quin imò sanguinis recusatio (inquit Cassander) qui cum corpore unum mysterium efficit, signum erat abnegationis veri & naturalis in Christo sanguinis, in quo haud dubiè grande sacrilegium continetur. Ex abundanti & hoc addo: Credunt Pontificij, Priscillianistas panem Dominicum ex Ecclesijs domum deportasse, & abstemios fuisse, ut habet Pistor. lib. de una specie pag. 267. hujus tamen nulla est mentio neque apud Epiphanium, neque apud Augustinum, diligentissimos illius sectæ Scriptores.

BECANUS.

Imò, inquies, duo Pontifices notarunt, Leo & Gelasius. Vterque enim damnavit Manichæos, quod abstinerent à calice. Et quidem Leo Papa serm. 4, de Quadragesima sic habet; Ore indigno Christi corpus accipiunt

III. Objectio.

(Ma-

(Manichæi) sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. *Gelasius verò apud Gratianum cap. comperimus. de consecratione, dist. 2.* Comperimus, *inquit*, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire.

IV. *Verùm hæc objectio, quam Lutherani & Calviniſtæ, contrà nos urgent planè confirmat nostram sententiam. Ac primùm, quod attinet ad Leonem Papam, res sic habet. Erant tunc temporis Romæ multi Manichæi ex Africa profugi, qui ut suam hæresin occultarent, & se Catholicos esse mentirentur (alioqui admissi & tolerati non fuissent) publicè cum Catholicis templa adibant, & cum eis communicabant.*

Baronius tomo 6. annalium, circa annum 999.

At

At privatim in clandestinis conventiculis suã hæresin exercebant. Vt igitur cives Romani, qui verè Catholici erant, possent sibi cavere ab hujusmodi hominum genere; Pontifex publicè pro concione monuit, eos pro Manichæis habendos esse, qui in communione semper à calice abstinerent. Hanc enim sufficientem esse notam, qua ab aliis discerni queant. Alios enim non semper, sed aliquando; Manichæos semper abstinere à calice. Verba Leonis sunt hæc:

Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut nobis hujuscemodi homines & his manifestentur inditiis; & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à

Leo serm. 4. de quadragesima.

sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur.

BALDUINUS.

Uterque locus, tam Leonis quàm Gelasij, longè clarior est, quàm ut ulla sophistica obnubilari queat: & certò scimus, utrumq; sudem esse in oculis genti Pontificiæ. Mirum itaq; videbimus, quomodo mutilationem Cœnæ Papisticam confirmare possint. Σοφὸν φάρμακον quod affers th. 4. non est Baronij, sed ab alijs priùs excogitatum, qui finxerunt, si Andradio credimus, ante Leonem in usu fuisse in Ecclesia communionem sub una specie, sed Leonem tunc rursus mandasse ad tempus communionem sub utraq; specie, ut ita deprehendi possent Manichæi. Animadvertit autem *Andradius lib. 7. Orthod. explic. pag. 629, eos mirum in modum hallucinatos esse. Nam verba Leonis magis significare, nondum ea tempestate calicis hauriendi morem fuisse antiquatum.* Quæ verba Andradij socienni tui probè notabis, Becane; ita enim concidit temerarium tuum pronunciatum de communione sub una specie

cie ante annos mille & ampliùs publicè in Eccleſia uſitatâ. Inde etiam hoc colligere potes, hoc de ſuo addere Baroniũ, contra fidem hiſtorici, quòd Leo pro concione præceperit, Catholicos NON SEMPER, ſed ALIQVANDO à calice abſtinere debere. Negat hoc Andradius, ut vides. Verba Leonis affers contra Manichæos; ſed quomodo illis figmentũ Baronij probas? *Noſtris myſterijs* (inquit Leo) *intereſſe audent, & tamen ſanguinem redemtionis noſtræ haurire declinant*: ex quibus verbis colligimus, myſteria Eccleſiæ Romanæ fuiſſe, ut Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie communicaretur, non admiſſa temporis diſtinctione: & hæc perpetua fuit Leonis ſententia, qui alibi communicantes quoſvis nequidquam de veritate corporis & ſanguinis Chriſti dubitare jubet, haud dubiè ſilentio non præteriturus, ſi aliquando abſq; ſanguine communicare liceret. *Serm. 6. de jejunio ſeptimi menſis.*

BECANUS.

Hinc ſumo efficax argumentum pro nobis: Et quidem triplex. Vnum eſt; Manichæi, qui Romæ volebant eſſe occulti, non fuiſſent auſi publicè abſtinere V.

à calice, si omnes Catholici coacti fuissent sumere calicem. Sic enim statim fuissent agniti. Ergo evidens signum est, usum calicis fuisse liberum apud Catholicos. Alterum; Leo Papa, non monuit Romanos, ut notarent eos qui abstinerent à calice; sed eos, qui semper abstinerent. Hoc enim significat per illam particulam, Omnino, *cum ait;* sanguinem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. *Ergo hoc fuit discrimen inter veros Catholicos, & occultos Manichæos, quod hi semper, illi aliquando sub una specie communicarent. Vna igitur species fuit tunc licita. Tertium; Dicant Lutherani & Calviniſtæ, an communio sub una specie fuerit Romæ tunc temporis nova, & primùm introducta à Manichæis; an etiam prius usitata à Catholicis? Si nova, facillimè poterat notari à Romanis; nec opus erat Pontificis monitione. Si prius usitata, nihil nos facimus hoc tempore, quod olim à Catholicis factum non sit.*

BAL-

BALDUINUS.

Efficaciam triplici huic argumento, imò ſuccum & ſanguinem adimit *Andradius*, cujus verba ex loc dicto aſſcribo: *Cùm ſanctiſſimus Pontifex præcipit* (inquit) *à fidelium cœtu illos expelli, qui ſeſe à Chriſti ſanguine hauriendo abducunt, de Manichæis verba facit, qui cum exiſtimarent, Chriſtum non verè humanam naturam induiſſe, neq; pro humano genere verè ſanguinem profudiſſe, panis tantùm ſpeciem ſumebant, à calicis verò uſu per ſummam impietatem abſtinebant. Quod illius verba apertè indicant, Abdicant, inquit, ſe Sacramento ſalutis humanæ, & Chriſtum Dominũ noſtrum ſicut in veritate carnis noſtræ denegant natum, ita mortuum verè, & reſurrexiſſe non credunt. Et ob hoc diem ſalutis & lætitiæ noſtræ ſui jejunij mœrore condemnant. Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris adeant myſteriis intereſſe, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum*

tutiùs lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinẽ autem redemtionis nostræ haurire omninò declinãt. Quòd ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate Sacerdotum autoritate pellantur. Quæ quidem verba magis significant nondum ea tempestate calicis hauriendi morem fuisse antiquatum. Hæc Andradius: Ex quibus intelligimus, 1. Manichæos ausos fuisse id, quod Becanus nõ credit, intersesse nimirum mysterijs Romanorum, & propter errorem de veritate carnis & sanguinis Christi, à sanguinis communione abstinuisse, & hoc ipso quasi charactere ut hæreticos notatos fuisse. 2. ne litera quidẽ attingitur in verbis Leonis, eos tantum notandos esse, qui SEMPER abstinerent. Andradius illam abstinentiam summam impietatẽ vocat, Leo sacrilegam simulationem; sine ulla temporis differentia: neque video, quod hodie impium est & sacrilegũ, hoc cra

cras pium licitumque esse queat. Miserum autem est refugium in misello adverbio OMNINO. An non clariùs loqui potuisset Pontifex in re tam seria, si temporis distinctionem notare voluisset? Quid si fortasse feliciùs colligerem, Manichæos non semper ab altera specie abstinuisse, quia dicitur, INTERDUM ipsos tutiùs latere voluisse? Cogitet de eo Lector, an non inde concludi queat, utramque speciem Romæ tunc temporis in usu fuisse. Sed nolo immorari in vocubis, ubi clariora succurrunt. 3. Quòd consuetudo illa communicandi sub una specie nova fuerit tunc temporis, fatetur Andradius, & contrarium sentientes mirum in modum hallucinari infit; cum hoc igitur transige, Becane. Nunquam sanè Sacrilegium aut sacrilegam simulationem vocaret Leo, si consuetudinem illam vel usu receptam, vel institutioni Christi consentaneam judicaret. Sed si nova, inquis, facilimè poterat notari à Romanis, nec opus erat Pontificis monitione. Quasi verò! Abusus in Ecclesia Corinthiaca circa administrationem Cœnæ recentes erant, & facilimè notari poterant à Corinthijs,

numquid ergo frustranea erat admonitio Apostolica? 1. Cor. 11. Est hoc ministrorum Ecclesiæ officium, adhuc dubitantibus de errore succurrere, erroremq; manifestis inditijs aperire: quod fecit Leo, qui consuetudine illa communicandi sub una specie Manichæos notari jussit, quorum hæresis aliàs in ista Ecclesia non statim animadvertebatur, ut ipse fatetis sequenti paragrapho.

BECANUS.

VI. *Accedit, quod idem Leo in aliis concionibus populo explicârit, quinam essent errores Manichæorum, ut patet ex serm. 4. de collectis, & serm. 5. de jejunio decimi mensis. Romani enim nesciebant, in quibus punctis Manichæi dissiderent à Catholicis. Igitur à Leone Papa instructi sunt. At Leo nunquam dixit eos errare in usu unius speciei; quod tamen sine dubio fecisset, si una species divino jure esset interdicta; præsertim, cum tam serio ac paterne hortaretur suos cives, ut ab omni Manichæorum errore essent alieni.* Quomodo autem

autem poterant esse alieni, nisi speciatim de unoquoq; monerentur?

BALDUINUS.

Ain' tu, Becane, Leonem nunquam dixisse, Manichæos errare in usu unius speciei? Quid ergo est, abdicare se Sacramento salutis humanæ? ore indigno Christi corpus accipere? sanguinem redemptionis nostræ haurire, omnino declinare? propter SACRILEGAM SIMULATIONEM à sanctorum societate, Sacerdotum autoritate, pelli: quæ omnia de Manichæis scribit Leo: Hoccine non est fateri, Manichæos errasse? Vide, vide, mi Becane, quo te rapiat erroris præconcepti periculosa defensio?

BECANUS.

Veniamus ad Gelasium Papam, qui succesit Leoni in Pontificatu post annos triginta duos. Ille igitur, quia videbat Catholicos aliquando abstinere à calice, sicut fecerant tempore Leonis, & aliorum, qui Leonem proximè secuti sunt; ideoq; non satis facilè discerni posse à Manichæis; tulit novam legem, ut deinceps Catholici nunquam abstinerent VII.

nerent à calice. Sic enim putabat fore, ut statim, quotquot abstinerent à calice, noscerentur Manichæi esse, non Catholici. Nec tamen hoc ideo fecit, quod existimaret unam speciem licitè sumi non posse; sed ne Catholici, si pergerent abstinere à calice cum Manichæis, paulatim imbuerentur errore Manichæorũ. Hi enim duplici de causa abstinebant a calice. Primò, quòd putarent vinum esse fel Draconis. Secundò, quod negarent Christum esse verè mortuum, & verum sanguinem effudisse. In utroq; errabant. Ne ergo Catholici viderentur ob easdem causas abstinere, jussit Pontifex, ne deinceps abstinerent, ad præcavendam utriusq; erroris suspicionem. Itaq; illa verba Gelasii, Divisio unius ejusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire *non significant, unam speciem non posse sumi sine sacrilegio, ut falsò interpretantur Lutherani & Calvinistæ; sed opinionem illam, qua Manichæi putabant abstinendum esse à calice, non pos-*

se provenire, sine suspicione nefandæ hæresis. Vide Baronium tomo 6. Annaliũ, anno Christi 496. ubi doctè & prolixè de hac re disputat contra Novatores.

BALDUINUS.

Agnoscimus hæc esse σοφὰ φάρμακα Baronij. Sed *Primùm*, Nullo fundamento demonstrari potest, Catholicos tempore Leonis & aliorum abstinuisse à calice: contrarium testatur Concilium Constantiense sess. 13. nimirum, *in primitiva Ecclesia hoc Sacramentum receptum fuisse à fidelibus sub utraque specie*: & hactenus nondum demonstrârunt Pontificij, aliam istius mutilationis originem in Ecclesia Romana, quàm quæ ex Manichæorum hæresi est.

Deinde falsum est, Gelasium novam tuliisse legem, ut deinceps Catholici nunquam abstinerent à calice. Urget enim Legem institutionis divinæ, quam sine grandi sacrilegio violari non posse indicat.

Tertiò falsum est, quòd canon ille Gelasij contra solos Manichæos positus sit. Etsi enim concedamus (quod tamen concedere necesse non est) Manichæos occa-

occasionem præbuisse ad canonem illum constituendum : illos tamen non solos concernit, sed ut habent expresse verba canonis, *eos, qui superstitione aliqua adstricti à calice abstinent*. Quòd si enim alij præter Manichæos, à calice sacri cruoris abstinuerint, ipsi non minùs sacrilegam unius ejusdemque Sacramenti divisionem facerent, ut Canon habet.

Quartò, causa, cur utraque species in canone tantopere urgeatur, non est, quæ hic affertur, ne nimirum viderentur errore Manichæorum imbuti, sed quia privatio calicis GRANDE est SACRILEGIUM : quæ sanè ratio non tantùm tempore Manichæorum locum habuit, sed semper in Ecclesia valet : quod enim hodie Sacrilegum est, cras officium pietatis esse non potest.

Denique qualis illa sit vel tua vel Baronij glossa, de verbis Gelasiani Canonis : *Divisio unius ejusdemque mysterij sine grandi Sacrilegio non potest provenire*, ipse videris : Verba sanè longè clariora sunt, quàm ut depravari possint. De Sacrilegio loquitur Pontifex, quod est rei sacræ furtiva privatio ; non de hæresi, quæ etiam sine sacrilegio esse potest. Quod si maximè

glossa

gloſſa tua locum haberet, vide quæſo, quid facias? ſi enim opinio illa, qua Manichæi putabant abſtinendum eſſe à calice, non poteſt provenire, ſine ſuſpicione nefandæ hæreſis, facilè æſtimare potes, quid de decreto conciliabuli Tridentini ſentiendum ſit, quod ſub anathematis fulmine (bruto licèt) utriuſq; ſpeciei communionem prohibet: quod ſi ex tua ſententia, non ſine ſuſpicione nefandæ hæreſis factum eſſe dicimus, rectè atque ordine fieri, tua nos gloſſa monuit.

BECANUS.

VIII. *Porrò, quod Manichæi fuerint in illo duplici errore, de quo dixi, patet ex Auguſtino, libro de hæreſibus, cap. 46. ubi ſic ait;* Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe Principum tenebrarum: *Et ibidem;* Affirmant Chriſtum non fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis humanis ſenſibus præbuiſſe, ut mortem & reſurrectionem mentiretur. *Similia de iis ſcribit Leo Papa ſerm. 4. de collectis, in fine, & ſerm. 4. de nativitate Domini, circa medium, & ſerm. 4. de*

4. de Epiph. paulo post medium. Eodem spectat illud Gelasii; Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, &c. *Hinc iterum concludo pro nobis; Gelasius, Augustinus & Leo damnarunt quidem errores, seu superstitiones, propter quas Manichæi abstinebant à calice; non tamen damnarunt ipsam abstinentiam à calice: Ergo putarunt communionem sub una specie non esse illicitam.*

BALDUINUS.

Mirum qua fronte ita concludere ausis. Ita igitur corrigenda est conclusio: Gelasius & Leo abstinentiam à calice damnarunt ut sacrilegam & impiam, & calicem sumere recusantes à Sacramenti perceptione arceri voluerunt: ergo communionem sub una specie non putabant esse licitam, nisi fortè sacrilegium committere licitũ putaveris. Cõsideret æquus Lector, utra cõclusio veritati sit vicinior.

BECANUS.

IX. *Hactenus primum argumentum, quod ex facto Manichæorum desumtum est. Alterum sumi potest ex usu Ecclesiæ Orien-*

Orientalis, præsertim Constantinopolitanæ. Nam sicut Romæ tempore Leonis Papæ, liberum fuit sub una, vel utraq; specie communicare; sic etiam Constantinopoli tempore D. Chrysostomi. Hoc evidenter convincit historia, quam referunt Sozom. lib. 8. cap. 5. Nizeph. lib. 13. cap. 7. Baronius tom. 5. annalium, anno Christi 400. in fine, & alij complures. Est autem hæc; Vir quidam *(inquit Nicephor.)* Macedonij morbo laborans, uxorem eadem contagione infectam habebat. Hic cum aliquando in magnum illum virum (*nempè D. Chrysostomum*) incidisset, quomodo de Deo sentiendum sit, differentem, statim priori opinione relicta mutatus, dicta illius laudavit, cõjugemq́; ut itidem & ipsa sententiam suam mutaret, cogere institit. Ubi verò illa ex cõsuetudine & colloquiis quotidianis familiarium mulierc̃ularum pendens, admonitionem ejus non suscepit, & maritus re sæpius tentata, nihil

nihil effecit; postremo ei denunciavit, nisi communem atque eandem secum de Deo teneret opinionem, minimè se eam secum habitare passurum esse. Mulier postquã id per simulationem annuit, ex ancillis, quam fidam sibi esse credebat, uni, quid facturа esset, credidit, ut per fraudem virum falleret. Et sacrorum mysteriorum tempore, accedens illa; donum, sicuti mos erat, (qui sacris instituti sunt, quid dicam, intelligunt) accépit; atque id retinens, perinde atque orationi vacatura, se inclinata submisit, mysteriumq; sacrosanctum occuluit: Et quæ ei assistebat ancilla, pro eo panem communem domo allatum obtulit, quem illa ori admovens, in lapidis naturam induratam esse, dum dentibus atterere conatur, sensit. Itaque timore percita, ne quid gravius per Dei vindictam pateretur, propter miraculũ, quod præter opinionem acciderat, nulla

inter-

interpoſita mora, ad magnum illũ
ccedit Patrem, rem actam ei ex-
oni, & lapidem oſtendit certò &
pertè morſus indicium exhiben-
em, qui jam materiam priorem
gnoraret, novumque & alienum
olorem obtineret. Et venia deli-
ti petita, deinceps in eadem cum
naritæ opinione perduravit. Lapis
ſte ad fidem miraculi ejus facien-
lam, longo tempore inter Eccleſiæ
lonaria aſſervatus, ſpectatoribus
miraculo fuit. Hæc Nicephorus.

BALDUINUS.

Benè habet: una hæreſis profligata
ſt: prodit jam altera Macedoniorum,
apiſtici Sacrilegij Patrona non incom-
oda, quippe, qua moderni hæreſium
apiſticarum incruſtatores utuntur pœ-
è omnes. Videat autem æquus Lector,
uàm vehementer impingat meus Beca-
us in ipſo limine. Ait, tempore Chry-
oſtomi liberum fuiſſe, ſub una vel utraq;
ecie communicare. Reclamat ipſe
hryſoſtomus homil 18. in 2. Corinth 8.
Eſt autem (inquit) *ubi nihil differt Sa-*

cerdos à subdito; ut quando fruendum est horrendis mysteriis. Similiter enim omnes ut illa percipiamus, digni habemur, non sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & NON LICEBAT populo participem esse eorum quorum particeps erat Sacerdos: sed NUNC NON SIC; verùm omnibus unum corpus proponitur & poculum unum. Hanc legem dubio procul in gratiam mulierculæ Macedonicæ immutari non passus est Chrysostomus: sed audiemus animi gratiâ, quid ex hac historiola colligant Papicolæ.

BECANUS.

X. *Ex hac historia tria colligimus, quæ ad rem faciunt. Primò, quod tunc temporis Eucharistia sub specie panis data fuerit communicantibus in manu, ut eam postea sumerent, quisq; pro sua devotione. Secundò, quod illa fœmina hæretica, ut in gratiam mariti simularet se Catholicam esse, publicè in manu acceperit panem Eucharisticum à Sacer-*

Sacerdote, tanquam paulo post eum comestura. Tertiò, quod digressa à Sacerdote, clam absconderit panem Eucharisticum, & pro eo communem ac prophanum ori admoverit, ut saltem communicasse videri posset. Hinc concludo, tunctemporis liberum fuisse, vel sub una, vel sub utraque specie communicare. Nam si omnes coacti fuissent sumere de calice, non potuisset illa mulier dissimulare suam fraudem, quia calix non dabatur communicantibus in manu, sed à Diacono eorum ori admovebatur, ut habet Cyrillus catechesi 5. mystagogica.

Nihil habent hîc adversarii, quod solidè respondeant. Plessæus lib. 1. de Eucharistia cap. 12. pag. 163. sola interrogatione conatur eludere. In illa, *inquit*, narratione de muliere infideli, quæ Chrysostomum decipere conata, licet Sozom: panis tantum meminerit in lapidē conversi; an non de publica Ecclesiæ Constantinopolitanæ communione agitur,

XI.

in qua utramque ſpeciem adminiſtratam, quis unquam dubitavit? *At mi Pleſſæe, non eſt quæſtio, an utraq; ſpecies publicè fuerit adminiſtrata; ſed potius, an liberum fuerit communicantibus, vel unam, vel utranq; ſpeciem accipere. Hoc autem liberum fuiſſe, optimè convincitur ex hiſtoria citata. Nec quiſquam, ſalva hiſtoriæ veritate, inficiari id poteſt.*

BALDUINUS.

Quidquid ſit de ſumtione Euchariſtiæ in manus, illud duntaxat ex hac hiſtoriola colligi poteſt, mulierculam illam panem ſaltem accepiſſe Euchariſticum; quis vero ſanæ mentis hinc concluderet, tunc temporis liberum fuiſſe, in Eccleſiæ conventibus, ſub una vel utraque communicare ſpecie? Quid ſi enim hæretica iſta mulier propter certum finem panem illum in ore detinuiſſet, & data opera calice abſtinuiſſet? quid ſi etiam panis ori admotus, & in lapidis naturam immutatus, obſtitiſſet, quò minùs alteram ſpeciem adſumere potuiſſet? Utrumque veriſimile. Neque alicujus momenti eſt, quod addis, ſi omnes coacti

fuiſſent

fuiſſent ſumere de calice, non potuiſſe mulierem illam diſſimulare ſuam fraudem. Illud enim in maxima communicantium frequentia non fuiſſet impoſſibile; & idem noſtra ætate interdum a veneficis factitatum eſſe, experientia comprobavit. Cogitet itaque pius Lector, qualis hæc ſit fidei certitudo, ex unico exemplo hæreticæ mulieris, eoque ſatis incerto, æſtimare velle totius Eccleſiæ, ejuſque celeberrimæ conſuetudinem. Quis non ſpinturnicio aut pitheciæ illi anteponat laudatiſſimum Patrem Chryſoſtomum, teſtem ſanè locupletiſſimum, qui Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Sacramenta diſpenſavit: quique publicè ſcripſit, jam non ampliùs obtinere morem veteris Teſtamenti, ubi populo non licebat participem eſſe eorum, quorum particeps erat Sacerdos: ideò populum hortatur ad ſanguinem Dominicum debita cum reverentia accipiendum: *Reputate*, inquit, *ſalutarem ſanguinem, quaſi è divino & impolluto latere effluere, & ita approximantes labiis puris accipite:* haud dubiè id non facturus, ſi diſpenſationem calicis indifferentem fuiſſet arbi-

tratus. Quam in rem Theophylactus, Chryſoſtomi Epitomator, omnes ad ſacram Cœnam accedentes promiſcuè hortatur, in cap. 19. Johan. *Quando accedes ad poculum communionis ſanguinis Chriſti, ſicte compara, quaſi ex latere ipſius bibiturus.* Non liberum relinquit calicis uſum, ſed præparationem debitam poſcit. Aliunde igitur probanda eſt illa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ libertas: hæretica illa mulier in re tam ſeria fidem non faciet.

BECANUS.

XII. *Tertium argumentum ſumitur ex communione domeſtica, quæ olim apud Catholicos ſub altera ſpecie fuit uſitata: Solent enim fideles Euchariſtiam domum deferre, & ibi pro ſua oportunitate ſumere, ut tradunt Tertullianus, Baſilius, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, & alii antiqui Patres. Et quidem Tertullianus l. 2. ad uxorem (ubi hortatur eam, ne cum Chriſtiana ſit, nubat gentili marito, eo quod non poſſit exercere officia Chriſtianæ religionis, quin maritus genti-*

gentilis advertat) inter cætera sic ait; Latebisne tu, cùm lectulum, cum corpusculum tuum signas? Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si scierit, panem, non illum credit esse qui dicitur. *Hinc apparet, fideles solitos esse domi ante alios cibos sumere panem Eucharisticum. Idem Tertull. in lib. de orat. in fine;* Accepto, *inquit*, corpore Domini, & reservato, utrunq; salvum est, & participatio sacrificij, & executio officij. *Disputat eo loco, an jejuniũ solvatur sumtione Eucharistiæ. Aliqui affirmabant; ideoque diebus jejuniorum putabant abstinendum esse à communione. Occurrit Tertull: corpus Domini, quod in templo distribuitur, domũ deferri posse & reservari ad horã comestionis: sic enim fore, ut nec jejunium violetur, nec communio omittatur.*

De eadem reservatione Basilius in Epist: ad Cæsariam Patriciam sic scribit; Illud autẽ, in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, XIII.

non præsente sacerdote aut ministro, communionem propria manu sumere, nequaquam esse grave; supervacaneum est demõstrare, propterea quòd longa consuetudine, hoc ipso rerum usu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est sacerdos, communionem domi servantes, à seipsis communicant. In Alexandria verò & in Ægypto, unusquisque eorum, qui sunt de populo, ut plurimum habet communionem in domo suâ.

XIV. *Consentiunt alii Patres citati. Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum, non longè à principio, ait;* Etiam Eucharistiam cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuiq; ex populo ejus partem sumere. *Et Cyprianus serm. de lapsis;* Cum quædam *(mulier)* arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est, ne auderet attin-

attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, de sacrificio à Sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere & contrectare non potuit, & cinerem ferre se apertis manibus invenit. *Et Hieronymus in Apologia ad Pammachium pro libris suis contra Jovinianum*; An alius in publico, alius in domo Christus est? quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. *Et Augustinus serm. 252. de tempore*; Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas; Et omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi corpus Christi accipiant.

XV. *Ex his Patrum testimoniis perspicuum est, fideles olim solitos esse Eucharistiam domum deferre, ibique asservare ad privatam communionem. Quod autem soliti sint unam tantum speciem deferre & conservare; facillimè ostendi potest. Primò, quia citati Patres unius tantum speciei memine-*

runt. Secundò, quia plerique non nisi de una specie intelligi possunt. Quis enim credat, sanguinem Christi sub specie vini à fidelibus perlatum esse in manibus, arca, vel linteolo? corpus Christi portari sic potuit; non sanguis. Tertiò, quia D. Athanasius apologia 2. contra Arrianos, diserte ait, nullum calicem aut poculum mysticum alibi reperiri potuisse, nisi in Ecclesia. Quomodo ergo in domibus Laicorum asservari potuisset sanguis Christi, sine poculo aut calice?

BALDUINUS.

Quæ magno hic cum apparatu è Patribus afferuntur de communione domestica, ne quidem unius assis sunt: & facilè responderi potest.

1. Exempla illa, à sanctis Patribus allata, privata sunt & extraordinaria, quæ legem aut consuetudinem in Ecclesia facere non possunt. Nobis autem quæstio est, de publica & ordinaria Sacramenti sumtione.

2. Consuetudo erroris non parit errori patrocinium. Illa enim Sacramenti deportatio & usurpatio privata est contra

verba

verba instituentis Christi, qui non dixit, Accipite & deportate domum, & pro oportunitate vestra sumite: sed accipite, edite, bibite. Et D. Paulus esurientes domi manducare jubet, Sacramento verò utentes ad conventum publicum remittit, 1. Cor. 11. v. 33.

3. Quando Patres panem dicunt domum fuisse deportatum, non necesse est intelligere unā duntaxat Sacramenti partem, sed usitata synecdoche totam Eucharistiam intelligere possumus: quemadmodum Hieronymus in Epist. ad Eustoch. tantùm sanguinis mentionem facit: non tamen paterentur hinc concludi Pontificij, solum sanguinem in Eucharistia esse.

4. Hieronymus eo ipso loco, qui hic laudatur, reprehendit eos, qui cùm possent Eucharistiam in Ecclesia publice sumere; domi eam accipere malunt: *Quare non ingrediuntur Ecclesias*, inquit (quæ verba non satis candidè omisisti, Becane) *an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia licet, nec domi licet.* Ostendit igitur, sibi illam Sacramenti deportationē in privatas ędes non parum displicere.

Habeat

Habeat itaque locum hic illud *August. lib. 3. cont. Parmen. Pensandæ sunt doctrinæ, non in statera dolosa consuetudinum suarum, sed in statera æqua divinarum Scripturarum.*

5. Certum est, non tantùm panem sed & vinum fuisse domum deportatum. Ita enim de Gorgonia sorore sua scribit *Nazianzenus*: quòd manibus suis aliquot *Nazian orat. 25. in Laud. Gorgon.* signorum pretiosi corporis aut sanguinis (ut habet Jacobi Billij versio) condiderit *Hieron. tom. 2. pag. 41.* seu adservaverit: Et *Hieronymus* ad Rustic. cum Monachum scribens: *nihil*, inquit, *illo* (Exuperio Tolosæ Episcopo) *ditius qui corpus Domini canistro vimineo sanguinem portat in vitro.* Et *Ambros. serm. de obitu frat.* de Satyro fratre suo scribit, quòd cor sumserit, & toto pectoris arcano hauserit Sacramentale vinum, &c.

6. Idem fatetur *Baronius* tom. 4. an. 404. *Vidimus* (inquit) *Eucharistiæ non sub specie panis tantùm sed etiam sub specie vini olim consuevisse recon*. Quæ omnia si considerentur, rationes Bellarmini th. 15. in spongiam incumbunt.

Primùm enim Patres unam non nam

nantes ſpeciem totum Sacramentum in-
telligunt: quemadmodum Paulus nomi-
nando corpus Domini, ſanguinem non
excludit, 1. Cor. 11. v. 29.

Deinde panem manibus, arca, linteo-
lo perlatum fuiſſe concedimus: non au-
tem inde ſequitur, eos non etiam depor-
taſſe vinum.

Præterea, adſervari potuit in domi-
bus Laicorum ſanguis Chriſti, licèt non
in calice, aut poculo myſtico, tamen in
vitro, quod de Exuperio ſcribit D. Hie-
ronymus.

Denique ſi maximè conſuetudo illa
deportandi unam Euchariſtiæ ſpeciem
ratis ſolidè probata fuiſſet, (quod tamen
minimè factum oſtendimus) ſcimus ta-
men, eam & ſanctis Patribus diſplicuiſſe,
ui quod corrigere non potuerunt, tole-
runt: & in concilijs duobus prohibi-
im ac damnatam: in Toletano I. circa
mpora Anaſtaſij, cujus Can. 14. hic eſt:
*i quis acceptam à Sacerdote Euchari-
iam non ſumſerit, velut ſacrilegus
ropellatur*: & in Cæſarauguſtano, circa
nnum 500, cujus Canon 3. ita ſonat:
ucharistiæ gratiam ſi quis probatur
acce-

Communio ſub una in duabus Concilijs damnatur.

acceptam non consumsisse in Ecclesia, Anathema sit in perpetuum.

BECANUS.

XVI. *Hoc argumento convicti adversarii fatentur, unam speciem fuisse olim usurpatam privatim in domibus; non tamen publicè in Ecclesia. Addit Kemnitius, eos ipsos, qui privatim sumebant Eucharistiam sub specie panis, prius in Ecclesia sumpsisse sub specie vini; ac proinde utramque speciem per intervalla temporum usurpasse. Deinde, se non disputare de privata, sed publica cœnæ administratione. Sed primùm quæro ex Kemnitio, unde sciat, prius calicem in Ecclesia, deinde panem Eucharisticum in privatis domibus sumptum fuisse à fidelibus? contrarium planè colligitur ex Tertulliano, cum ait, eodem die, & jejunium, & communionem servari posse, si corpus Domini ad horam comestionis asservetur. Quid opus erat, ratione jejunij, tamdiu abstinere à corpore Christi, si jam antea calix fuisset degustatus? de Eremitis res clarior est.*

Quod

Quomodo potuissent calicem sumere in Ecclesia, qui toto anno communicabant in eremo, & non nisi rarissimè ad Ecclesiam veniebant? Addo Kemnitium sibi ipsi repugnare. Nam ex una parte ait, se tantum disputare de eo, quod publicè fiebat in Ecclesia; Et ex altera fatetur, fideles publicè in Ecclesia solum calicem sumpsisse, pane Eucharistico domum asportato: Ergo fateri debet, usum unius speciei fuisse publicè usurpatum in Ecclesia, quod tamen vult negare. Denique, quidquid sit de contradictione Kemnitii, si communio sub una specie, licita & usitata fuit in privatis Laicorum domibus; certè divino præcepto prohibita esse non potuit. Quod enim simpliciter à Deo prohibitum est, nec privatim nec publicè rectè fieri potest. Hoc sensu dixit Hieronymus loco citato; Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet.

BALDUINUS.

Ne, quæso, canas triumphum ante victoriam. Quàm bellè enim viceris Adver-

Adversarios, rancidâ illa consuetudine, liquet ex præcedentibus. Vicisti, ut tibi videtur, & tamen in devictos etiamnum sævis. Refutare enim conaris Chemnitium: quàm pulcrè, videbimus. Quæris primùm, unde sciat Chemnitius, priùs calicem in Ecclesia, deinde panem Eucharisticum in privatis domibus sumtum fuisse à fidelibus? Atqui si Chemnitium inspexisses, succurrisset responsio: Refert enim illa ex *Ruardo Tappero* Decano Lovaniensi: *Is videtur*, inquit, *ex serm. 5. de lapsis apud Cyprianum, quod illis temporibus sanguinem Dominicum ex calice omnes bibebant, & quod corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, & ibi sumerent, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent.* Hæc Tapperus, cum quo transige.

Deinde ex explicatione Tapperi sequi fatemur, *nonnullos* unam tantum speciem in Ecclesia sumsisse: id quod *D. Basilius* etiam in quibusdam animadvertit, in orat. de Eremitis: inde verò non sequitur, usum unius speciei, præsertim vini, fuisse

fuiſſe communem omnibus in Eccleſia, id quod ne quidem Pontificios concedere exiſtimo : aliâs ex iſta conſuetudine non probarent communionem panis, ſed vini. Semper autem urgemus cum Chemnitio : *Noſtra quæſtio eſt, non quid unus aut item alter privatim fecerit, ſed quæ fuerit publica, legitima, ordinaria, & ſolennis cõſuetudo Eccleſiæ veteris in adminiſtratione & diſpenſatione Cœnæ Dominicæ.*

Non de conſuetudine privata ſed publica totius Eccleſiæ quæritur.

Deniq; communionem ſub una ſpecie in privatis domib. licitam fuiſſe pernegamus. Nam ſuprà audivimus, eam non modò in Concilijs damnari, verùm etiam D. Hieronymum eo nomine debacchari in Jovinianum, cur non ingrediantur Eccleſias percepturi Sacramentum. Et ſi maximè conſuetudinem illam tolerare coacti ſunt ſancti Patres ; quia tamen ſcimus, eam verbis inſtitutionis adverſari, idcircò locum habeat hic illud *Cypriani, lib. 2. Epiſt. 3. Quod prius apud quoſdam videtur erratum, Domino monente corrigamus, ut cum in claritate ſua & majeſtate cæleſti venire*

ceperit, inveniat nos temere, quod monuit, observare, quod docuit, facere, quod fecit.

BECANUS.

XVII. *Plessæus Calvinista, l. 1. de Eucharistia c. 12. pag. 162. propè finem, quia facilè advertebat hanc Kemnitij solutionẽ defendi non posse; aliam viam ingressus est. Ait, quæ hactenus ex Patribus allata sunt, nihil aliud,* quam mulierculārū & idiotarum extraordinarios quosdam abusus *esse. Et hoc probat, quia communio privata, de qua hactenus locuti sumus, fuit postea damnata ab Ecclesia in Concilio Toletano* 1. *can.* 14. *& in Cæsaraugustano can* 3. *At non esset damnata, si liceret domi communicare. Sed valdè errat Plessæus. Primo, quia citati Patres loquũtur de privatæ communione, tanquã de re sanctã, & longo fideliũ usu comprobata. Et sanè, si res mala est, cur Alexandriæ & in totâ Ægypto tamdiu fuit tolerata? cur Tertullianus eam suasit in die jejunij? cur Basilius definivit, posse Laicos ex pro-*

pria

pria manu communicare, ſicut eo tempore faciebãt Eremitæ? Secundo, falſum eſt, in citatis Conciliis damnatam eſſe privatam communionem. Non fuit damnata, ſed prohibita: nec ideo prohibita, quia in ſe mala, ſed propter irreverentiam, & varios abuſus, qui inde ſequebantur. Hoc patet ex ipſis verbis. Sic enim loquitur Conc. Toletan. can. 14. Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur. *q. d. Hactenus multi reperti ſunt, qui Euchariſtiã acciperent à ſacerdote, nõ ad ſacram refectionẽ, ſed ad illicitos abuſus. Deinceps, ne id fiat amplius, ſinguli participent Euchariſtiã à ſacerdote acceptã, nec domum ſecum auferant; alioqui, qui ſecus fecerit, de ſacrilegio ſuſpectus erit, & pro ſacrilego reputabitur ac punietur. Eodem ſenſu definivit Concil. Cæſaraug: can. 3.* Eucharistiæ gratiam, ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumſiſſe, anathema ſit in perpetuũ. *Nimirum contra Priſcillianiſtas, qui ut*

suam hæresim occultarent, publicè cum Catholicis accipiebant Eucharistiam à Sacerdote, & nunquam postea sumebant. Hæc nota sunt ex historiis. Vnde miror Plessæum, quod in re manifesta fucum facere voluerit.

BALDUINUS.

Vehementer dubito, num Chemnitium unquam adspexeris, cùm ista scriberes: nolo enim suspicari, te data opera malitiosum esse voluisse. Dicis, Plessæum aliam inire viam, quasi aliquid à Chemnitio peculiare afferret. Atqui hæc ipsa habet etiam Chemnitius: *Domestica* (inquit) *seu privata illa communio postea abrogata, & severè prohibita est in Toletano & Cæsaraugustano conciliis*, & iterum, *ut maximè in exemplis istius domesticæ communionis aliquid ostenderetur* (*quod tamen nondum videtur factum esse*) *pugnans cum institutione Christi, & solenni consuetudine primitivæ Ecclesiæ Christi, quid tamen inde efficeretur, cùm sint privata & extraordinaria exempla, & quidem, quæ postea gravi consilio sunt abrogata.*

Sed

Sed ad rem: Communionem illam unius ſpeciei privatam improbaram: & abrogatam eſſe negas, 1. quia Patres loquuntur de communione, tanquam de re ſanctâ, atqui malle Hieronymum, ut in Eccleſia adminiſtretur, ſæpius jam audivimus: inveteratam autem illam conſuetudinem commendârunt, & reverentiam ſaltem erga ſacra ſymbola ſuaſerũt, quia privata autoritate eam tollere non poterant, & tempore perſecutionis copiam communionis publicæ non ſemper habere poterant, ideò permiſerunt illam Euchariſtiæ adſervationem ad tempus, ne teneris conſcientijs ſcrupulum facerent. Ex uſu verò neceſſario & extraordinario ſolennem facere conſuetudinem, non licet.

2. Communionem de una ſaltem ſpecie intelligendam eſſe nondum probatum fuit. Ex Baſilio ſanè liquet, loqui ipſum de caſu neceſſitatis, qualis etiam incidebat apud Eremitas, qui Eccleſias frequentare non poterant, in deſerto enim Sacerdotibus deſtituebantur, ibi ſuadet, ut communio privatis in ædibus propria ſumatur manu: quod tamen conſilium Baſilij ſuo loco relinquimus. Sci-

mus enim in tali casu administrationem Cœnæ non esse necessariam: quia consistit juxta institutionem ὁ δέσποτος: facta verò à persona privata & quidem sibi ipsi, destituitur legitima vocatione: ideò satius est abstinere: non enim privatio sed contemtus Sacramenti damnat, qua de re vide Beatum *Lutherum in consilio ad Laurentium Casturum, tom 6. Ien. fol. 339. seqq.*

3. Consuetudo mala non fit bona, quia alicubi diu tolerata: multa enim incidere possunt, quæ etiam meliora providentibus impedimento sunt. Ipsa itaq; tolerantia arguit cõsuetudinem in se non bonam, sed necessitate introductam, quæ non semper habet legem.

4. In concilijs privatam istam communionem prohibitã fateris, damnatam negas, sed quid hoc est, Becane, *Veluti sacrilegi propellendi sunt, qui Eucharistiam à Sacerdote acceptam non sumserint*? annon Cæsaraugustana Synodus expressè anathema dicit, in perpetuum, Eucharistiam in templo acceptam non statim consumentibus? Longè sanè hæc illustriora sunt, quàm ut negari queant. Sed, non quia

in

in se mala, verùm propter abusus dicis prohibitam: ubi verò hoc vel attingitur in canone? Sacrilegus vocatur, qui non statim sumserit acceptam: non qui eo abusus fuerit. Nam abusus etiam & irreverentia in ipsa sumtione esse potest. Neque propter istum abusum commodè sacrilegi dicendi essent, sed impij. Sacrilegi autem fiunt, quando sumta saltem una specie alteram domum deportant.

5. Tandem ais, Canonem Cæsarauguſtanum contra Priscillianistas esse positum: quid tum postea? Concedamus hoc etiam de Toletano: numquid propterea, quod in hæreticis, ut sacrilegum anathemate punitur, si fiat ab alio, ut sanctum, justum, atque rectum deprædicetur? Cogita ipse, quàm firma hæc sint, & an conscientiam pacare, certamque reddere possint, de eo, quod olim una tantùm Eucharistiæ species in privatis ædibus sit usurpata: quod si adquieverit conscientia, cogita rursum, num hinc sequatur, fuisse hanc publicam & solennem totius Ecclesiæ consuetudinem: quòd si & hoc tibi persuadere poteris: perpende quæso diligentissimè,

utrum talis consuetudo institutioni Salvatoris verbis perspicuis & clarissimis descriptæ præjudicare quidquam possit: pergo interim ad alia.

BECANUS.

XVIII. *Quartum argumentum sumi potest ex* communione Laica, *quæ in pœnam magni alicujus delicti, olim dabatur Clericis, ablata eis communione Clericali. Hujus crebra mentio est in decretis Antiquissimorum Pontificum & Conciliorum. Vide Siricium Papam epist. 1. cap. 11. Felicem 3. Epist. 1. cap. 2. Concilium Elibertinum can. 76. Sardicense cap. 1. & 2. Agathense c. 33. Toletanum 1. cap. 4. Toletanum 4. cap. 17. Bracarense 1. cap. 31. Cyprianum lib. 4. epist. 2. & alios. Hoc argumento utitur Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 24. asserens nomine* Laicæ communionis *intelligendam esse communionem sub una specie. Quod si verum est, argumentum est efficacissimum pro usu unius speciei. Aliqui tamen, non solum ex adversariis, sed etiam Catho-*

Catholicis, aliter sentiunt; nempè communionem Laicam fuisse illam, quam sumebant olim Laici extra chorum; Clericalem vero, quam sumebant Clerici in choro. Vtranque tamen sub specie panis & vini. Constat enim fuisse olim moris, ut Laici orarent & communicarent extra cancellos per ministerium Archidiaconi; Episcopi vero, Sacerdotes & reliqui Clerici intra cancellos. Huc spectat illud ex Concilio Toletano 4. Can. 17. Sacerdotes & Levitæ ante Altare communicent; in choro Clerus; extra chorum populus. *Et ex Braccarensi 1. can. 31.* Ingredi sacrarium ad communicandum, non liceat Laicis; nisi tantùm Clericis. *Itaque juxta hanc sententiam, pœna Clericorum, qui deliquerant, in eo erit posita, ut exclusi ex choro, cogerentur extra chorum communicare inter Laicos, & quasi in ordinem Laicorum redigerentur. Quod si ita est, non videtur hinc sumi posse argumentum pro communione sub una specie.*

BALDUINUS.

Rectè facis, mi Becane, quòd de Bellarmini opinione dubitas, utrum vera sit: feciſſes rectiùs, ſi apertè, quod ſentis, dixiſſes, eam falſam eſſe. Jampridem enim veſtros homines ejus pudere cœpit, convictos à Chryſoſtomo loco ſupra notato, ubi ait, nullum eſſe in hoc negotio diſcrimen inter Sacerdotem & populum, ſed omnibus unum corpus proponi, & poculum unum: agnoſcunt etiam Conſtantiēſes patres, utramq; ſpeciem, in primitiva Eccleſia omnibus fuiſſe datam. Frivolum itaq; & valde dilutum eſt, Laicam communionem de communione ſub una ſpecie interpretari. Laudo itaque, quòd in meliorem diſcedis ſententiam, quòd nimirum & Laici & Clerici utramque ſumſerint ſpeciem, illi extra, hi in choro. Ubi exoptârim, te tui fuiſſe memorem: ita enim ſupra theſ. 2. non ſcripſiſſes, ante annos mille & amplius publicè in Eccleſiæ tam Orientali, quàm Occidentali uſitatam fuiſſe communionem ſub una ſpecie. Vide enim quàm longè meliora hîc ſcribas: utramque communionem Clericorum & Laicorum fuiſſe ſub ſpecie panis & vini: quod probè notabis, ne rede-

as,

as, cum tuo millenorum annorum computo. Quid ergo prodest instituto tuo, communio Laica? ipsemet enim dubitas, num inde sumi queat argumentum pro communione sub una specie: & profecto non falleris: audiemus tamen tuum ea de re judicium.

BECANUS.

Ego de hac re, salvo meliori judicio, sic sentio. Primo, verum esse, quod olim Laici extra chorum; Clerici in choro communicarint; Et hoc sensu, aliam fuisse communionem Laicam, aliam Clericalem; quarum una fuerit distincta ab alia, ratione loci. Vtrang; tamen fuisse publicam. Secundò, verum quoque esse, quod Clerici in pœnam alicujus delicti, soliti sint privari communione Clericorum, quæ fiebat in choro; & remitti ad communionem Laicorũ, quæ fiebat extra chorum. Vtrung; patet ex Conciliis citatis, Toletano & Bracarensi. Adde tertio, præter hanc pœnã, fuisse aliam (non nomine, sed significatione) qua nimirum Clerici, propter enormia quædam flagitia, privabantur com-

XVIII.

communione Clericali, & remittebantur ad Laicam, longè alio sensu. Hoc facilè ostendo. Nam Fælix 3. loco citato, vult Clericos rebaptizatos abstinere ab omni cõmunione usq; ad diem obitus, & in ipsa morte non dari illis, nisi communionem Laicam. Et Concilium Sardicense cap. 2. ne in morte quidem dari illam permittit ob crimina quadã graviora. Sic enim ait; Ita ut nec Laicam in fine communionẽ talis accipiat. *Hæc autem testimonia non possunt intelligi de communione Laica juxta priorem sensum, quia illa fiebat publicè in templo, & distinguebatur à Clericali, quod hæc fieret in choro, illa extra chorum. Nihil tale dici potest de communione Laica, quæ privatim dabatur, vel negabatur Clericis in articulo mortis. Ibi enim non habet locum distinctio communionis in choro, & extra chorum. Vnde necesse est, fuisse morem, ut in articulo mortis, Clerici sub utraq;, Laici sub una specie communicarent. Nam alias non video, quid intel-*

ligi

ligi posſit per Laicam communionem; quæ privatim ægrotantibus dari ſolet. Et hoc optimè confirmant illa verba Concilii Sardicenſis, quæ paulo ante citavi; Ita ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat. *q. d. Epiſcopus, quitam grande crimen (de quo ibi ſermo eſt) admiſerit, non ſolum Clericali, ſed etiam Laica communione privabitur in fine vitæ, id eſt, non ſolum communione utriusque, ſed etiam unius ſpeciei, in pœnam tanti delicti, abſtinebit. Si hic ſenſus non eſt, quis alius eſſe poteſt? Si autem hic eſt, quid amplius requirimus?*

BALDUINUS.

Laica communio vereribus dicebatur, quando Clerici, hoc eſt, rerum ſacrarum prçfecti, propter inſigne aliquod crimen ab officio removebantur, ita ut eis non ampliùs liceret adminiſtrare Sacramenta: inter Laicos tamen (quos communiter *fideles* nominabant, & Clericorum miniſterio regebantur) locum habebant, & Euchariſtiam cum cætero populo accipiebant: utrique tamen, & Laici *Communio Laica.*

&

& Clerici, qui in ordinem Laicorum jam erant redacti, utraque ſpecie, quod & agnoſcit Becanus. Et hanc fuiſſe communionem Laicam conſtat ex can. 15. eorū, qui Apoſtolici vocantur: qui ita habet: *Si quis presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum relinquat propriam parœciam, pergat ad alienā, & omnino demigrans præter Epiſcopi ſui conſcientiā, in aliena parochia commoretur, HUNC ULTERIUS MINISTRARE non patimur; præcipuè ſi vocatus ab Epiſcopo redire contemſerit, in ſua inquietudine perſeverans: veruntamen TANQUAM LAICUS IBI COMMUNICET.* Ita Canon. Ubi hæc duo, non ulterius miniſtrare, & tanquam Laícus communicare opponuntur.

Communicare tanquam Laicus quid ſit?

Et certum eſt etiam apud Pontificios, communionem ſub una ſpecie tunc nondum innotuiſſe. Ergo communicare tanquam Laicus, eſt, non amplius administrare ut Clericus, ſed unà cum cætero populo Sacramentum accipere, cum qua interpretatione conſentiunt è Pontificijs ſcriptoribus, Wicelius, Lindanus, Tapperus, Baronius, &c. Etſi autem non diffite-

firemur, Laicos in communione etiam respectu loci à Clericis fuisse separatos: id enim expressè habetur in Epist. 52. Cypriani: *Orabant & communicabant illi extra cancellos per ministerium Archidiaconi, hoc est, extra chorum, ut hodie loquimur*: tamen differentia utriusque communionis non tantùm in loco erat, verumetiam in gradu & ordine. Clerici enim primo loco communicabant, & quidem ita, ut & administrare possent alijs: Laici autem post Clericos: ijsque accipere saltem, non administrare licebat.

Quòd autem in Sardicensi Concilio Clericis insigniter facinorosis etiam Laica communio prohibetur, non ideo fit, quasi in articulo mortis Laici communicaverint sub una specie: hoc enim nullo exemplo probari potest, & supra fatebatur Becanus, Laicos etiam utramq; sumsisse speciem; & refragatur ipsa loci consuetudo, ubi concilium coactum. Sardica enim Mysiæ civitas Ecclesiæ Orientalis pars est, in qua utriusq; speciei communionem semper durasse suprà ex Cassandro & Patriarcha Cõstantinopolitano probavimus: sed hæc est mens Synodi,

ut

ut tam insigniter facinorosi Clerici ab omni prorsus communione arceantur, nec inter Clericos, nec inter Laicos reputentur: qua de re vide, quæso, nisi grave est, D. Chemnitij, &, si placet, etiam Mornæi luculentam explicationem, & invenies haud dubiè melius de Laica communione judicium, quod te salvum relicturum ab initio processatus es: optimè tibi tuisque auditoribus consulturus, si remoto præjudicio, Deo dares gloriam, & veritati tam illustri cederes.

BECANUS.

Addi possent alia argumenta, desumpta ex communione ægrotorum, ex communione infantium, & communione ex præsanctificatis; quæ Bellarminus loco citato persequitur. Sed lubens ea omitto; quia quæ hactenus allata sunt, abunde nobis sufficiunt. Ex iis etenim perspicuè constat, usum unius speciei ante mille annos, & eo amplius, in Ecclesia Catholica, tum publicè Romæ & Constantinopoli; tum privatim in Eremo, & in domibus Laicorum, & in articulo mortis, fuisse receptum & ap-

proba-

probatum; tametsi propter varios abu-
sus, fuerit aliquando, ad breve tempus,
prohibitus & intermissus. Quod in a-
liis quoque rebus evenire solet. An non
trina immersio, quæ fit in baptismo, re-
cepta & usitata fuit tempore Tertullia-
ni? Negari non potest. Et tamen postea
in Concilio Toletano 4. can. 5. propter
legitimam causam fuit interdicta.

BALDUINUS.

Cautè agis, quòd argumentorum, quæ hic obiter tangis, tractatione silentio involvis: hauddubiè enim intelligis, quàm ludicra sint & tenuia: quorum vanitas jampridem demonstrata fuit à *Chemnitio* nostro part. 2. Exam. tractatu de communione sub una specie, à Mornæo quem in primis refutare vis, lib. 1. de Euch. c. 17. & nuperrimè satis docte & nervosè à D. Jacob. Heilbrunnero **im Vncatholischen Papstthumb**, art. 18. c. 2. quæ omnia dubio procul legisti, & tamen siles. Nescio quid hoc sit ominis: Desine interim gloriari, quasi multa perspicuè probaveris. Hoc sanè perspicuè constat, te tibi ipsi contradixisse & conscientias dubias reddidisse magis magisq; incertas, dum eas in

re tam ardua ad consuetudinem particularium quorundam hominum, & exempla extraordinaria à Patribus & Concilijs improbata & damnata remittis: in quibus singulis ac universis æquo Lectori liberum judicium relinquo non dubitans, quin si illud ἀνάκρισις instituatur, cuilibet apparere possit, probationem thematis à principio positi de solenni publicoque usu communionis sub una specie in primitiva Ecclesia in ipso nisu defecisse.

CAP. VI.

Sub una specie non minus continetur totus Christus, quàm sub utraque.

BECANUS.

1. *Ostendi hactenus, unam speciem usurpatam fuisse, primo à Discipulis in Emaus; deinde à fidelibus ætate Apostolorum; denique ab aliis, qui postea successerunt. Nunc duæ causæ explicandæ*

dæ sunt, cur id rectè factum sit. Vna est, quia sub una specie non minus continetur totus Christus, quam sub utraque. Altera, quia non minor fructus percipitur ex una, quam utraque, cæteris paribus. Priorem hic explicabo; posteriorem in sequenti capite.

BALDUINUS.

Quid in Sacramento Cœnæ accipiendum sit, nō necesse est, ut ex argumentis rationis nostræ petamus; sunt in medio verba Institutionis Christi satis clara, aperta & perspicua: quæ nullo rationis umbraculo obscurari possunt. Est ergo puerilis ἀδιαλεξία, ita argumentari velle; sub una specie non minus continetur totus Christus, quam sub utraque. Ergo non sub utraque sed sub una recte sumitur in Sacramento, quid ni etiam sic colligis: in quovis pio homine est totus Christus: cuilibet Creaturæ præsentissimus adest totus Christus: ergo ex quovis pio homine, in quavis creatura caro & sanguis, imo, anima & divinitas Christi sunt accipienda? Vides ineptum esse argumentari à præsentia Christi qualicunque ad sumtionem Sacramentalem.

Necessariò igitur distinguendum est inter ista tria; inter præsentiam Christi *personalem, naturalem*, & *Sacramentalem*. Illâ nusquam est exclusus, istâ corpus & anima in Christo semper sunt conjuncta extra mortem, hac in Sacramento tantùm conjuncta sunt. Cùm ergo quæritur, quid in Sacramento accipiendum sit, semper urget conscientia hominis pij, institutionem & mandatum Christi: à quo Sacramenti perceptio unicè dependet. Nisi enim Christus instituisset & præcepisset usum Eucharistiæ, nemo tam temerarius esset, qui hoc facere auderet: ergo & temeritas est, si non magna impietas, aliter & non eo modo usurpare, quo à Christo instituta sunt: *Indignus enim est Domino*, inquit Ambros. in 1. Cor. 11. *qui aliter celebrat hoc mysterium, quàm ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter sumit, quàm datum est ab autore*: id quod in genere de his duabus ratiunculis notetur.

BECANUS.

II. *Circa priorem causam, primo videndum est quid sentiant Catholici. Illi ergo sic statuunt. Primò, in Christo spectari*

Et ari posse carnem, sanguinem, animã rationalem, & divinitatem, seu personam verbi. Secundò, Christum secundùm hæc omnia contineri in sacramento Eucharistiæ; & hoc esse, quod dici solet, Christum totum contineri in hoc sacramento. Tertiò, Christum non solum sub utraq; specie simul sumptæ, sed etiam sub unâ specie separatim acceptæ, totum contineri; id est, totum sub specie panis, & totum sub specie vini. Quartò, aliter tamen contineri sub specie panis; aliter sub specie vini. Nam sub specie panis contineri solam carnem vi sacramenti; reliqua per naturalem concomitantiam. Contra sub specie vini, contineri solum sanguinem vi Sacramenti; reliqua per concom tantiam. Hæc omnia habentur in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. & sess. 21. can. 3. & apud D. Thomam in 3. p. q. 76. art. 1. & 2.

BALDUINUS.

Omnia rectè; neque est, quod desidero, nisi quòd de naturali concomitan-

tia addis. Nam ſub ſpecie panis contineri ſolam carnem non Phyſicè ſed (ut loqueris) vi Sacramenti, concedimus, hoc eſt, ita ut Sacramentaliter cum pane unita adſit & diſtribuatur caro, non tamen ita, ut reliqua per naturalem concomitantiam etiam Sacramentaliter adſint & diſtribuantur, quia cum pane unita non ſunt: ideo cum pane caro diſtribuitur, non ſanguis, vi Sacramentalis inſtitutionis; licèt interim reliqua etiam adſint, ſed alio modo præſentiæ, naturali videlicet, non Sacramentali, ut & ſupra fuit declaratum. Quidquid enim cum aliquo ſymbolo Sacramentaliter unitum adeſt, id cum illo etiam diſtribuitur: ſed cum pane Sacramentaliter unita adeſt caro, non ſanguis, ergo cum pane non ſanguis ſed caro tantùm diſtribuitur: id quod ex Inſtitutione clarum eſt, & ex repetitione Pauli 1. Corinth. 10. v. 16. Hinc ſunt illa verba Durandi in Ration. lib 4. cap. 54. *Qui ſolam hoſtiam recipit, non plenum Sacramentum recipit. Et ſi enim in hoſtia conſecrata Chriſtus ſit, non eſt tamen ibi Sacramentaliter, eò quod panis corpus, non ſanguinem,*

Chriſtus in Sacramento quomodo accipiatur.

nem, & vinum sanguinem significat, non corpus.

BECANUS.

Calvinistæ longè aliter sentiunt. III.
Primò, Christum secundùm carnem, sanguinem, & animam rationalem, non esse nisi in cœlo; ac proindè tanto intervallo abesse ab Eucharistia, quanto cœlum distat à terra. Secundò, hinc fieri, ut nec sub una, nec sub utraque specie, dicatur contineri. Tertiò, ridiculum esse, quod docent Catholici de concomitantia. Vide Calvinum lib. 4. instit. cap. 17. §. 18. 35. & 47. Et in consensione de re Sacramentaria, in fine.

Lutherani divisi sunt, Nam aliqui IV.
partim cum Catholicis, partim cum Calvinistis consspirant. Cum Catholicis fatentur, Christum esse præsentem in Eucharistia: cum Calvinistis negant concomitantiam. Itaque secundùm illos dicendum esset, solam carnem Christi esse sub specie panis; & solum sanguinem sub specie vini. Animam rationalem sub neutra contineri.

Ita videtur sentire Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, titulo 17. errore 4. & 18. Hermannus Hamelmannus in libro de communione sub utraque specie, & Illyricus in libro contra Sacramentarios, parte 2. argumento 25. & parte 3. in solutione 3. objectionis.

V. *Alii cum Catholicis simpliciter asserunt, totum Christum contineri sub unaquaq; specie, etiam separatim sumpta; ut Joannes Brentius in confessione VVirtembergensi, articulo de Eucharistia, Kemnitius in disputatione de utraque specie, & omnes alij, qui defendunt ubiquitatem. Nam si totus Christus secundum divinitatem & humanitatem ubique est, ut ipsi volunt; necesse est, totum esse in pane, & similiter totum in calice.*

BALDUINUS.

Calvinianorum ἀπιστία nihil ad nos, qui Christum corpore & sanguine suo verè præsentem esse credimus in Cœna: ita tamen ut cum distinctis symbolis, juxta

xta institutionem distinctè etiam exhibeatur: corpus ejus cum pane, cum quo Sacramentaliter unitum est, sanguis cum vino, cum quo similiter ei Sacramentalis intercedit unio. Et hæc est ordinatio dispositioque Christi, qui, quia distincta in ipso sunt, corpus atque sanguis, ea etiam distinctè & cum distinctis symbolis dispensare potuit & voluit. Quod autem de anima rationali objicitur frivolum est, ea enim etsi adsit in sacrosancta Cœna, quia totus Christus adest: sub neutra tamen specie distribuitur, quia distribuendã eam Christus non disposuit, à cujus dispositione latum unguẽ discedere nobis nõ licet. Notetur autem, hoc ex concomitantia Papistica sequi, etiã animam & divinitatem Christi in Sacramento à nobis edi.

Papistæ etiam animam Christi & divinitatem edunt.

BECANUS.

Calvinistæ alibi refutati sunt; nec egent nova refutatione. Satis sit hoc loco monuisse, eos in Eucharistiæ sacramento nihil reliquum habere, præter nuda symbola panis & vini; quia totam ejus substantiam turpissimè abnegarunt, contra expressa Christi verba;

VI.

Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus. *Vide plura in disputatione de triplici cœna.*

VII. *Lutherani, qui fatentur Christum in Eucharistia præsentem esse, & tamen negant concomitantiam; hoc uno Scriptura loco refelluntur, Rom. 6. v. 9.* Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. *Nam quæro ex ipsis, an caro Christi sit sola sub specie panis, an conjuncta cum sanguine, anima rationali, & divinitate? Si sola est; mortua est. At Christus non moritur, ut inquit Apostolus. Si conjuncta cum sanguine, anima, & divinitate; jam totus Christus est sub specie panis, quod contendimus. Et non est totus vi sacramenti, quia vis sacramenti cõsistit in illis verbis;* Hoc est corpus meum. *Hæc autem verba, vi sua non significant totum Christum, sed tantum corpus seu carnem. Ergo caro Christi est sub specie panis vi verborum Sacramenti; reliqua per concomitantiam.*

BAL-

BALDUINUS.

Argutijs rationis ſemper opponimus inſtitutionem Chriſti, qui pro divina ſua ſapientia ſcivit omnium optimè, quomodo, & quo ordine corporis ſui pro nobis in mortem traditi, & ſanguinis pro nobis effuſi participes fieri valeamus in Sacramento. Deſipit itaque ratio, quæ ſapientiam Dei, in hoc myſterio corrigere auder. Neque enim de integritate perſonæ Chriſti hîc quæſtio eſt, ſed de eo, quod ſub quolibet ſymbolo diſtribuit in Sacramento. Scimus utique, conſtare Chriſtum divina & humana natura: Scimus humanam naturam conſtare corpore ac anima: Scimus etiam corpus abſq; ſanguine naturaliter eſſe mortuum. Hoc autem in verbis Inſtitutionis non videmus, quòd ſub ſymbolo panis Chriſtus diſpoſuerit, vel divinitatem vel animam vel ſanguinem ſuum ſumendum: Sed de corpore tantùm loquitur inſtitutio; ſicut in alterâ parte inſtitutionis tantùm de ſanguine. Scivit utique Chriſtus, etiam corpus abſque ſanguine non vivere, nec ſanguinem extra corpus vehiculum vitæ eſſe: placuit ei nihilominus ſeparatim corporis manducatio-

nem

Cur Christus separatim sanguinem, separatim corpus dederit in Cœna.

nem sub pane, sanguinis bibitionem sub vino ordinare. Cujus sanè ordinationis rationem habuit omni exceptione majorem, omniq; sapientia hominis sapientiorem: quia nimirum institutũ erat Sacramentum ad commemorationẽ mortis suæ, in qua sanguis ejus effusus pro nobis est in remiss: peccatorum: ideò placuit ipsi communicare nobis sanguinem seorsum, non in corpore manentem, sed extra corpus pro nobis effusum. Quam ob causam in institutione dicit: *Bibite ex hoc omnes, hic Sanguis Novi Testamenti est* QUI PRO VOBIS EFFUNDITUR *in remissionem peccatorum.* Hanc Christi ordinationem nulla ratio hominis magisterio suo convellere ausit. Etsi igitur Christus totus adest sub quolibet symbolo: tamen (uti sæpè dictum est) non totus adest *Sacramentaliter*, sed ita adest, secundùm eam sui partem, quæ vi institutionis unita est cum symbolo, cum qua & sola distribuitur & accipitur. Præterea ex eodem fundamento, quod corpus Christi non sit mortuum, concludimus sacrificulos ex pane conficere corpus mortuum, quia fingunt, transubstantiationem panis in corpus saltem, non ea

iam in ſanguinem. Quidquid ergo hic reſponderint, hoc ſibi à nobis etiam reſponſum habeant.

BECANUS.

Hoc clarius ſic explico. Sicut in pomo multa ſpectari poſſunt, color, odor, ſapor, quantitas, ſubſtantia; ſic etiam in Chriſto, divinitas, anima rationalis, caro, ſanguis. Rurſum, ſicut oculi vi ſua non vident totum pomum, ſed ſolum colorem; & tamen, quia color realiter conjunctus eſt cum odore, ſapore, quantiate & ſubſtantia, cenſetur videri totum pomum per naturalem concomitantiam: ſic etiam verba illa, Hoc eſt corpus meum, *vi ſua non ſignificant totum Chriſtum, ſed tantum carnem Chriſti; & tamen, quia caro Chriſti realiter unita eſt ſanguini, animæ rationali & perſonæ verbi, cenſetur totus Chriſtus ſignificari per realem unionem ſeu concomitantiam. Porrò, quia verba, quod ſignificant, hoc efficiunt; quod de ſignificatione dictum eſt, de efficientia quoque intelligi debet. Et* VIII.

quid

quid hic monstri est, quod tantopere metuunt adversarii? Nihil sanè. Perinde est, ac si dicam, me quidem invitasse solum Joannem ad prandium; sed tamen quia Petrus cum eo erat, à quo nolebat divelli, venisse cum eo Petrum.

BALDUINUS.

Ridiculum caput Becani.

Verè hîc accidit Pontificijs, quod Paulus gentium Apostolus de gentilium Sophis dicebat Rom. 1. v. 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nam quàm ineptum est, *sumtionem Sacramenti conferre cum visione pomi aut cum Johanne accedente ad prandium cum Petro?* Modus unionis diversissimus comparationem ipsam facit alienam & ineptam. Allata similia loquuntur de ijs, quæ naturaliter conjuncta sunt: hic autem de Sacramentali conjunctione, & quæ hinc dependet, præsentia ac distributione quæstio est. Juxta naturalem conjunctionem jam concessimus, semper ubi est Christi corpus, ibi esse & sanguinem, sed ita non distribuitur: juxta Sacramentalem verò unionem res aliter habet: ibi peculiarem habemus institu-

tionem

tionem, quæ cum pane corpus; cum vino ſanguinem ſumere jubet. Quòd ſi omninò ſimilibus illis ludere licet: Viderint Pontificij, an non prius illud de pomo appoſitiſſimè faciat pro noſtra ſententia. Quemadmodum enim ſolum colorem in pomo videmus, ſaporem, odorem, quantitatem & alia accidentia videre non poſſumus: hæc alijs ſubjacent ſenſibus, & tamen ea etiam adeſſe conſtat: ita ſolum corpus Chriſti cum pane Sacramentali manducamus, ſanguinem manducare non poſſumus, & tamen illum adeſſe non negamus. Viderit ergo Becanus, num ex hoc ſymbolo efficere poſſit id, quod voluit, nimirum unam ſpeciem ad ſumtionem totius cœnæ ſufficere: quia corpus & ſanguis imò totus Chriſtus ſub qualibet ſpecie adſit. Quod autem addit, *verba inſtitutionis, Hoc eſt corpus meum id quod ſignificat, efficere*, caveat ſibi, ne vim aliquam magicam verbis illis tribuat. Nequaquam enim virtuti aut ſono verborum adſcribẽdum eſt, quòd vel corpus efficiant, vel quod corpus & ſanguinem Chriſti in Cœna verè præſentem ſiſtant, quemadmodũ non ſine impietate ineptiunt Papicolæ: ſed

Simile Becani in ipſum retorquetur.

sed veritati Christi instituentis, qui quod dixit præstare potest, quique omnium optimè modum novit, quo res terrena & cœlestis in Sacramento præsentissimè uniantur. Neque est quòd quærat adversarius, quid hîc sit monstri quod tantopere metuamus? Reveremur enim & perpetuò in hac quæstione urgemus institutionem Christi, quam propter unum vel alterum rationis humanæ delirium violare, non monstrum aliquod, sed impietatem sacrilegiumq; summum esse arbitramur.

BECANUS.

IX. *Ex dictis sic concludo; Si totus Christus non minus continetur sub una specie, quàm sub utraque; perinde erit, cæteris paribus, sive sub una, sive sub utraque Eucharistiam accipiamus. Semper enim accipiemus eundem Christum; & quidem totum ac integrum. At prius verum est: Ergo & posterius.*

BALDUINUS.

Absurda concomitantiam: Papisticam concomitantia

Quæ verò sunt ista *cætera paria?* nimirum absurda ista, quæ concomitantiam istam Papisticam concomitantur: Quòd si enim tantum sub una quantum sub utraque

traque ſpecie accipitur, quî fit, quòd ſacrificuli quoque una ſpecie contenti non ſunt? num verò una actione bis Chriſti corpus manducare & ſanguinem bibere cupiunt? quia ſub utraque ſpecie totum, ac integrum Chriſtum accipiunt? num ſub pane corpus edere, ſub vino idem corpus bibere volunt, propter naturalem illam ſuam concomitantiam? Hæc enim omnia ſequi neceſſe eſt, ex illo concomitantiæ commento: Nam ſi ſub pane non tantùm corpus, ſed & ſanguis diſtribuitur: neceſſariò ſequitur, ſanguinem ſub pane manducari, non bibi, quia panis ad manducandum datur & inſtitutus eſt: viciſſim ſi ſub vino non tantùm ſanguis, verumetiam corpus diſtribuitur, neceſſariò ſequitur, corpus ſub vino bibi non edi: quia vinum ut bibatur datum fuit. Hæc abſurda omnia duabus voculis, *Cæteris paribus* ſeſe eliſiſſe putavit Becanus: ſed longè craſſiora ſunt, quàm ut tam leviter contemni poſſint. Penſites ea, Becane, & in timore Domini ſtudioque veritatis penſites: ſat ſcio, quòd te ex illis, ſtante veſtro dogmate, extricare non poſſis.

BECANUS.

X. *Et confirmari potest à simili. Faciamus legatum mille florenorum à testatore relictum tibi esse, & totũ in duplici codicillo descriptum contineri; nec minus tibi profuturum, si unum, quàm si utrumq; codicillum ab hæredibus testatoris accipias. Sanè, si hæredes alterum codicillum tibi offerant, cujus vigore totum legatum percepturus es; quid habes, quod queraris? Nihil video. Nam æquè certus es de tota pecuniæ summa, per unum, quàm per utrunque codicillum; nec aliunde quicquam pateris detrimenti. Planè sic res habet in nostro proposito. Totum Christum accipis, non minus sub una, quàm sub utraq; specie. Quid ergo queri potes?*

BALDUINUS.

Simile vehementer claudicat, pernegamus enim, unum in Eucharistia symbolum totius codicilli rationem habere. Codicillus enim noster est in hoc Testamento Institutio Christi, qui concepti verbis nobis legavit sub pane corpus, sub vino sanguinem suum, & utriusque fide

li per

li perceptione omnium ſuorum beneficiorum communicationem. Quicunque ergo panem duntaxat accipit, calicem nõ item, integrum codicillum non habet, ſed diſcerptum & laceratum, quod abſq; fraude hęredum non fit. Videris ergo, Becane, ne ſimilitudo iſthæc contra te ſit. Et ſi omninò urges integrum ſub quavis ſpecie eſſe codicillum (quod tamen contra inſtitutionem Chriſti eſt) cur, quæſo, ſacrificuli non abſtineant à calice, ſiquidem ex tua opinione totum legatum ſub pane percepturi ſunt: quid habent, quod querantur? nihil video.

BECANUS.

Sed multo luculentius Scriptura nobis hoc explicat ſimilitudine Manna, *quæ fuit figura Euchariſtiæ. Sic enim legimus, Exodi 16.17.* Feceruntq; ita filij Iſrael, & collegerunt, alius plus, alius minus. Et menſi ſunt ad menſuram gomor: Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus: ſed ſinguli juxta id, quod edere poterant, congregaverunt. XI.

Nimirum, voluit Deus quasi in figurâ multo ante significare, non minus percepturos ex Eucharistiæ, qui unam, quàm qui duas species accepturi essent; nec plus, qui duas, quàm qui unam sumpturi.

BALDUINUS.

Scriptura allegorica non est argumentativa. Demus sane mannam Israëliticam fuisse typum & figuram Eucharistiæ: Ita enim interpretatur D. Augustinus in lib. quæst. ex Novo testamento quæst. 95. quanquam meliùs beneficiorum Christi figura esset, quæ etiam extra Eucharistiam esse possunt, & sic interpretatur ipse Christus Johan. 6. & Apostolus Paulus 1. Cor. 10 sed demus ita esse: non tamen necesse est, typum & antitypum in omnibus convenire, aliàs sequeretur, panem Eucharisticum per impluvium esse exspectandum: manna enim impluebat: Corpus Christi, quod ex pane transsubstantiatum esse fingunt Pontificij, esse quasi pilo tusum; tale enim videbatur manna: corpus Christi in panem transsubstantiatum à Sole liquefieri; hoc enim accidebat mannæ: Corpus Christi sex continuis

diebus

diebus uſurpandum eſſe: nihil ejus in craſtinum reſervandũ, cum tamen Papicolæ Euchariſtiã magna cum religioſitate includant, & adſervent, in dies & annos, ſæpe quamplures. Aut igitur hæc omnia concede de manna, aut fatere, comparationem tuam nullius hili eſſe. Præterea vide quàm egregiè argumenteris à figura Veteris Teſtamenti ad veritatem verborum Chriſti. Circumciſio ſanè fuit figura baptiſmi, qui in ejus locum ſucceſſit, teſte Paulo Col. 2. Num ergo hinc colligere licet, quemadmodum in circumciſione facta ſectio, non lotio, ergò idem in baptiſmo faciendum. Conſidera quò te rapiat allegorica tua argumentatio. Certè quid in quolibet myſterio faciendum ſit, inſtitutio cujuſque docet. Nuſpiam autem dixit Chriſtus, cum, qui una Sacramenti ſpecie utitur, tantum habere, quantum, qui utitur utraque. Apoſtolus Paulus autem ex ore Chriſti audivit, ET manducandum eſſe panem Domini, ET bibendum calicem. Doceant ergo Pontificij, quis genius ipſis revelarit, Deum contra expreſſam inſtitutionem Chriſti in figura mannæ ſignificare voluiſſe, non minus percepturos ex Euchariſtia, qui u-

nam, quàm qui duas ſpecies accepturi eſſent; nec plus, qui duas, quàm qui unam ſumturi.

BECANUS.

XII. *Hinc ulterius infero, Catholicos merito beatos; Lutheranos & Calviniſtas, infelices eſſe. Nam Catholici juxta Scripturam, non minus ſub una, quàm ſub utraq; ſpecie percipiunt. Semper enim exhibetur illis totus & integer Chriſtus. Lutherani verò, ſive ſub una, ſive ſub utraque ſpecie communicent, nunquam totum Chriſtum, ſed ſub una ſpecie ſolam carnem, & ſub altera ſolum ſanguinem putant ſe accipere. Et quia id falſo putant (Chriſtus enim non moritur, ut ait Apoſtolus; ideoque caro non eſt ſine ſanguine, anima & divinitate) non plus accipiunt, quàm Calviniſtæ, id eſt, nihil. Perinde enim eſt, ſive dicas cum Calviniſtis, Chriſtum omnino præſentem non eſſe in Euchariſtia; ſive cum Lutheranis, Chriſtum mortuum præſentem eſſe. Vtrung; enim impium, & ſacrilegum eſt.*

BAL-

BALDUINUS.

Fruere sanè hac tua beatitudine, quamdiu Deus concesserit, per me licet: ea nimirum beatitudine, qua Christus bis editur, bis manducatur uno convivio, plusquam Cyclopico: Semel sub symbolo panis, deinde sub symbolo vini: imò qua corpus sub vino bibitur, sanguis sub pane editur: & non quidem ab omnibus: nam sacrificulis tantùm adeò licet esse beatis. Miselli Laici ista beatitudine digni non sunt. Quid autem Lutherani in sua Eucharistia habeant, quid etiam, & quo ordine juxta institutionem Christi accipiant, suprà sat multis indicatum fuit. Desine itaque calumniari, si bonus es, Christum Lutheranis mortuum præsentem esse: hæc enim plusquam impia & sacrilega calumnia est, ut tuis utar Epithetis.

CAP. VII.

Ex una specie non minor fructus percipitur, quàm ex utraque.

BECANUS.

1. *Hoc planè constituitur ex dictis. Nam si totus Christus, qui est fons omnium donorum supernaturalium, non minus continetur sub una, quam sub utraque specie; certè non minor fructus ex una, quam ex utraque sperari potest. Hoc sensu dixit D. Thomas in 3. p. q. 80. art. 12. ad 3.* Potest à populo sumi corpus sine sanguine; nec exinde sequitur aliquod detrimẽtũ, quia sub utraq; specie totus Christus continetur. *Et Christus ipse, cum de fructu Eucharistiæ loquitur, eundem planè effectum tribuit uni speciei, quem utriq; Joan. 6. 51.* Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Et infra;* Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *Huc etiam spectat figura, quæ de manna supra allata est. Sicut enim manna erat cibus corporis: ita* Exod. 16. 18 *Eucharistia est cibus animæ. Et sicut manna non minus satiabat ac reficiebat*

bat vires corporis, sive quis plus, sive minus collegisset: sic etiam Eucharistia non minus reficit mentem, sive sub una, sive sub utraq. specie sumatur: modo aliunde non sit impedimentum.

BALDUINUS.

Hypothesis, cui hoc caput innititur, jam subruta est penitus, nimirum, Christum sub utraque specie Eucharistiæ Sacramentaliter adesse. Falsum ergo esse necesse est, quidquid in hoc capite superstruitur. Idcircò opponimus Adversario hunc generalem syllogismum:

A quibus non integrum Sacramentum percipitur, ab ijs nullus omninò fructus Sacramenti percipitur.

Fructus Sacramenti non est absq; integra Sacramenti substantia.

A Laicis & Clericis non conficientibus, integrum Sacramentum non percipitur: integritas enim Sacramenti juxta institutionem Christi complectitur panem & corpus: vinum ac sanguinem.

Ergo nullus ab ipsis percipitur fructus Sacramenti.

Thomas loquitur juxta consuetudinem sui seculi, quam ipse improbavit, ut su-

prà audivimus. Juxta inſtitutionem Sacramenti ſanè multum detrimenti patiuntur, qui ſanguine Euchariſtico deſtituuntur. Carent enim bona parte legati, carent medio illo ſalutifero, quo parta fuit peccatorum remiſſio: carent deniq; pretioſiſſimo ſolatio, quod ex effuſione ſanguinis Chriſti ad omnes fideles redundat. Chriſtus autem Joh. 6. per panem non tam panem Euchariſticum intelligit, quàm ſe & omnia ſua beneficia in Evangelio propoſita, quæ fide apprehenſa vitam conferunt æternam. Figura mannæ malè item applicatur: non enim edebant ſolùm in deſerto panem illum angelorũ, ſed & bibebant omnes de petra. Vide igitur an non potiùs ex figuris illis ſequatur, utrumque in Euchariſtia faciendum eſſe. Nam & typum de aquis ex petra ſalientibus ad Euchariſtiam accommodare placuit.

BECANUS.

II. *Sed ut clarius intelligatur, quod dicimus, explicandum eſt; quid quisque ſentiat de fructu Euchariſtiæ. Lutherani putant, totum illius fructum in eo conſiſtere, ut fides in nobis excitetur*

aut

aut confirmetur. Fundamentum eorum duplex est. Vnum fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam, qua quis certo persuasus est, peccata sibi gratuitò remissa esse per merita Christi, juxta divinam promissionem. Alterum, sacramenta instituta esse ad hanc fidem in nobis excitandam & confirmandam. Esse enim signa quædam sensibilia, quibus Deus suam promissionem de gratuita peccatorum remissione per merita Christi obsignavit, & nobis reliquit, ut ex eorum aspectu vel usu, statim excitemur ad certam fiduciam remissionis peccatorum concipiendam.

BALDUINUS.

Aut subdolè agis nobiscum in hac thesi, aut indoctè. Nam quando dicimus, fidem in nobis excitari aut confirmari per Sacramenta, non solam Eucharistiam intelligimus, neque ei utrumque fructum tribuimus. Nam fides non excitatur demum per Eucharistiam, sed ad eam adfertur, excitati aliunde, si usus

Eucha-

Eucharistiæ debeat esse salutaris. Sacramentum autem Baptismi fidem largitur & excitat: quam Eucharistiæ salutaris usurpatio confirmat. Aut ergo nosti, hanc nostrarum Ecclesiarum doctrinam esse, & sic decipere voluisti lectorem tuum: aut si ignoras, temerè reprehendis ea, quæ ipse nondum intelligis. Falleris autem, si existimas, nos hunc solùm Eucharistiæ fructum intelligere; nam quia in sacrosancta Cœna nobis communicatur corpus Domini in mortem pro nobis traditum, & sanguis ejus in remissionem peccatorum nostrorum effusus, qui non potest nobis universus omnium beneficiorum Christi thesaurus in hoc Sacramento esse adapertus? in quam sententiam præclara verba sunt Bernhardi: *Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conservat, per hoc fit homo, mansuetior ad correptionem, patiētior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promtior, ad gratiarum actionem devotior.* Sed non est opus his immorari, audiamus Becanum.

BECA-

BECANUS. II.

Ex his fundamentis, quæ tamen falsa & alibi refutata sunt, ostendo Lutheranos, si quem fructum ex Eucharistia percipiunt, non minorem ex una; quam ex utraque specie, percipere posse, si velint; ac proinde frustra eos urgere utramque speciem. Hoc autem sic ostendo. Vel fides excitatur ex aspectu sacramenti; vel ex auditu verborum, quæ recitantur in sacramenti administratione; vel ex ipsa sumptione sacramenti. Si excitatur ex aspectu sacramenti; frustra Lutherani urgent sumptionem utriusque speciei. Primò, quia Laici, tametsi alteram tantum speciem accipiant, possunt tamen utranque aspicere, quia sacerdos utranque palam spectandam exhibet. Ergo, si solus aspectus sufficit, quid urgent sumptionem utriusq; speciei? Secundò, non minus excitatur fides ex aspectu unius speciei in Eucharistia, quã ex aspectu unius mersionis in baptismo: Ergo sicut in baptismo non requiruntur tres mersiones ad excitandam

dam fidem, sed una sufficit; sic etiam in Eucharistia non requiruntur duæ species, sed una sufficit. Tertiò quando Lutherani communicant sub utraq; specie, prius vident speciem panis, quà calicis. Vel ergo ex solo aspectu panis excitatur fides, vel non. Si excitatur: quid ultrius volunt? Si non excitatur: quid prodest sumere illam speciem? Dicent, excitari quidem fidem ex aspectu panis Eucharistiæ: sed confirmari ex aspectu calicis. Sed quæro, an fides excitata ex priori aspectu, sit vera fides justificans, necne? Si est, jam verè credunt Lutherani peccata sibi remissa esse. Ergo jam verè remissa sunt. Quid volunt amplius? an quæ semel verè remissa sunt, indigent nova remissione? Non opinor. Si autem non est vera fides justificans, quid ergo est? aut quid tandem prodest? sed esto: fides semel excitata, confirmanda sit. An hoc fieri non potest ex unius speciei aspectu semel ac identidem repetito? Sicut enim, qui sæpius ac iterato intuetur eandem Christi i-

magi-

maginem, potest sæpiø excitari ad commemorandam ipsius mortem & passionem: sic etiam in proposito. Vnde, sicut una imago, non solum ad excitandam, sed etiam ad confirmandam recordationem sufficiens est: sic planè sentiendum est de una specie Eucharistica. An Lutherani putant, unum Biblicrum codicem non sufficere ad excitandam & confirmandam fidem, nisi alter adsit, qui priori suppetias ferat? Si ergo non est alius fructus Eucharistiæ, quam solo aspectu excitare fidem remissionis peccatorum; is sanè æquè percipi potest ex una, quam ex utraque specie, ut jam ostensum est.

IV. *Si autem fides excitatur, non ex aspectu sacramenti, sed ex auditu verborum, quæ in sacramenti administratione recitantur; ne sic quidem urgeri potest sumptio utriusq; speciei. Nam Laici non minùs audiunt illa verba, quando communicant sub una specie; quàm quando sub utraque. Ergo non minus excitari potest illorum*

fides

fides in sumptione unius, quam utriusque speciei. Imò, quid opus est sumptione Eucharistiæ, si ex solo verborum auditu fides sufficienter excitatur? Satis erit ad fructum illum percipiendum, si minister clara voce recitet verba institutionis ex Evangelio; & Laici ministrum recitantem audiant.

IV. *Si denig., neq. ex aspectu, neque ex auditu, sed ex ipsa sacramenti sumptione fides excitatur; quid tandem illud est, quo potissimum excitatur? Nam multa spectari possunt in sumptione. 1. externa actio sumendi. 2. interna fides & devotio sumentium. 3. species panis & vini, quæ sumuntur. 4. corpus & sanguis Christi, quæ sub illis speciebus continentur. Quid ergo ex his omnibus est, quod fidem excitat in Lutheranis? An externa sumptio? At illa salvari potest in una specie. An interna fides & devotio? At sic fides seipsam excitaret. Imò fides adesset, antequam excitaretur. An species panis & vini? At cum una species contineat totum*

Chri-

Christum, non minus, quàm ambæ simul; cur una non sufficiat? An denique corpus & sanguis Christi? At jam dixi, hæc non minus sub una, quàm sub utraque specie contineri.

BALDUINUS.

Abeat hinc morbus ille tuus, qui est febris Papistica, eaque prorsus maligna, qua tibi præjudicio miserè fascinato vera videntur falsa, & quæ præsentissimum habent solatium, falsa & amara. In ipsa verò collectione tua, quæso quid facis? Fidem excitari ex adspectu Sacramenti quis dicit? nostrũ sanè nemo: quibus fides per baptismum & ex auditu verbi prædicati excitatur, usurpatione verò sanctæ Cœnæ confirmatur: quid ergo opus est tam prolixa probatione, fidem neque ex unius, neque ex utriusque speciei adspectu excitari? nimirum, caput hoc dilatandum, & ingenium ostentandum erat, quod possit vitilitigare, & non & hoc dicere, quod de malis Philosophis dicebat olim Seneca. Fides in Eucharistia non primùm excitatur, sed confirmatur, idque fit nec adspectu symbolorum, nec auditu verborum institutionis: ad

hoc enim neque ſymbola, neque verbi
conſecrationis inſtituta ſunt, eaq; & im-
pij & infideles videre & audire poſſunt
ſed ex fideli intuitu agni Dei immacu-
lati qui in ara crucis pro nobis macta-
tus, in remiſſionem peccatorum, in men-
ſa Domini proponitur, non oculis corpo-
ris, ſed animi conſpiciendus: Hæc enim
ſumta atque hauſta faciunt ut Chriſtus in
nobis ſit & nos in Chriſto, juxta Hilarij
ſententiam. Non autem poteſt iſte fidei
intuitus fieri, niſi ab ijs, qui verbis inſti-
tutionis fidem habent; eaq; faciunt, qua
Chriſtus facere juſſit, edunt, bibunt, cer-
toque credunt, corpus Chriſti pro ſeip
mortem traditum, ſanguinem pro pec
catis, ſuis effuſum, jam ſibi in Sacramen-
to factum fuiſſe cibum ac potum, in re
miſſionem peccatorum: hoc enim eſt
cõmemorare mortem Domini, in quem
finem nos Euchariſtiam accipere juſſit
Salvator. Num hæc falſa ſint, & unquam
ſolide refutata, pij judicent.

BECANUS.

VI. *Vident, opinor, Lutherani, quo-*
cunque tandem ſe vertant, non minus
rem fructum invenire ſe poſſe in una
quam

quàm in utraque ſpecie; ac proinde, ex hoc capite, non rectè urgere utranque ſpeciem. Hoc unum, coronidis loco, ab iis quæro; an per illam fidem, quæ in hoc ſacramento in ipſis excitatur, credant Chriſtum vivum præſentem eſſe in Eucharistia, an mortuum? ſi mortuum; erant, quia Chriſtus jam non moritur, ut ait Apoſtolus. Si vivum; etiam erant, ſaltem ſua opinione, quia putant ſolam carnem eſſe ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini. At nec ſola caro, nec ſolus ſanguis, in ſe vitam habet. Ergo quidquid credunt, illorum fides erronea eſt. Quomodo ergo juſtificat? Etiam, procul dubio, erroneè.

BALDUINUS.

Valdè tibi places, Becane, iſta liripipij tui ſubtilitate, quaſi ex ſententia noſtra de communione carnis & ſanguinis Chriſti ſub diſtinctis Symbolis ſequatur, nos habere Chriſtum in Cœna mortuum: ad quod figmentum ſuprà ſufficienter reſpondimus. Et, ſi quam

reverentiam habes verbis Christi, instituentis, perpende quæso, quem sequi malis, num Christum, qui absque periculo mortis, corpus sub pane, sanguinem sub vino sumendũ instituit: an verò rationis tuæ obrussam, quæ carni protenus mortem intentat, nisi simul cum sanguine in Sacramẽnto exhibeatur, hoc est, nisi corpus edatur ac bibatur, ut suprà luculenter demonstratum fuit. Miror autem, te adhuc latere, quo respectu nos fidem justificare dicamus. Nam fides, quatenus credit, Christum in cœna esse pręsentem, non justificat, hoc enim etiam diaboli credunt, etiã vos Pontificij creditis, quas tamen fidem justificantem habere quis credat? Et sic revera erronea tua fides est, quæ hoc de nobis tibi persuasit: sed quatenus fertur in salutare meritum Christi, illudque sibi fiducialiter applicat, eatenus justificat, id quod extra Sacramentum Eucharistiæ jam factum est, ideò Eucharistia, istius fidei, quæ in hac imbecillitate carnis valdè languida est, confirmatio appellatur. Disce deinceps Adversarij sententiam melius, antequam exagitare ausis: aliâs cum liripipio tuo decertabis.

BECA-

BECANUS. VII.

Venio ad Calvinistas & Zuinglianos. Quid illi sentiant de fructu Eucharistiæ, ne ipsos quidem scire arbitror. Omnia apud ipsos dubia sunt: Et præsertim hæc tria, quæ ad rem maximè faciunt. 1. An Christus sit realiter præsens in hoc sacramento. 2. quomodo comedatur & bibatur in hoc sacramento? 3. quis sit fructus manducationis & bibitionis sacramentalis? Hæc, inquam, dubia & incerta sunt apud Calvinistas. Expendamus singula seorsim. Ac primum quæro, an Christus sit realiter præsens in hoc sacramento? Calvinus nunc affirmat, nunc negat. Affirmat in capite 11. prioris Corinthiacæ, his verbis; Concludo, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in Cœna dari corpus Christi. *Negat in confessione de re sacramentaria, in fine, his verbis:* Quia tamen Christi corpus finitum est, & cœlo ut loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum ab-

est à terra. *Calvinum imitatur Plessæus, qui lib. 4. de Eucharistia c. 3. pag. 675. in fine, negat realem præsentiam, quam tamen antea, cap. 2. pag. 660. asseruerat his verbis;* Dum sacra Cœna ex præscripto Christi celebratur. Christum realiter & substantialiter accipimus.

VIII. *Secundo quæro: quomodo manducetur & bibatur Christus in hoc Sacramento? In hac re Calvinistas & Zuinglianos dissentire, fatetur Calvinus ipse lib. 4. inst. cap. 17. § 5. cum ait;* Sed hoc non perinde inter omnes convenit, qualis sit ejus participandi ratio. Sunt enim, qui manducare Christi carnem, & sanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt nihil esse aliud, quàm in Christum ipsum credere. Sed mihi expressius quiddam ac sublimius videtur voluisse docere Christus in præclara illa cōcione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat, nempe

vera

ra sui participatione nos vivifi-
ri. *Quid autem hoc est? Sequitur*
ulo post; Interim verò hanc non
iam esse, quàm fidei manducatio-
m fatemur, ut nulla alia fingi
reſt. Verum hoc inter mea & i-
rum verba intereſt, quod illis
anducare est duntaxat credere:
o credendo manducari Christi
rnem, quia fide noster efficitur,
mque manducationem fructuni
fectumq; esse fidei dico. *Hæc Cal-*
nus. Qui potest capere, capiat. Quid
essæus? Multo facilius se expedit.
dit Christum non aliter manducari
bibi in Eucharistia, quàm in bapti-
o. Sic enim loquitur l. 4. c. 3. pag. 672.
bus in sacra cœna, fons in lacro
vacro: Et utroblque Christus co-
m modo. *Et paulo post*; ut Chri-
s proinde in sacra cœna non ali-
r, quàm in baptismo, suscipiatur,
piatur, gustetur. *Et quomodo susci-*
tur, manducatur & bibitur in bapti-
o? Non aliter, inquit alibi, quàm Pag. 654.

in verbo Dei, id est, sola fide. Ergo Plesseus jam discedit à Calvino; & nihil plus vult tribuere Eucharistiæ, quàm baptismo.

IX. *Tertio quæro; quis sit fructus manducationis & bibitionis sacramentalis? Secundum Calvinum, est certitudo seu securitas de vita æterna. Imò tanta certitudo & securitas, ut non magis possimus amittere regnum cœlorum, quàm Christus, qui jam illud ingressus est. Sic enim habet Calvinus l. 4. inst. c. 17. §. 2.* Magnum verò fiduciæ ac suavitatis fructum ex hoc sacramento colligere possunt piæ animæ, quod testimonium habent in unum corpus nos cum Christo coaluisse, ut quidquid ipsius est, nostrum vocare liceat. Hinc sequitur, ut nobis securè spondere audeamus, vitam æternam nostram esse, cujus ipse est hæres: nec regnum cœlorum, quo jam ingressus est, posse magis nobis excidere, quàm ipsi: rursum peccatis nostris non posse nos damnari. *Speciosa*

cioſa verba. Longè aliter Pleſſæus Calviniſta lib. 4. de Euchariſtia c. 1. p. 652. ubi diſertè affirmat, eundem eſſe fructũ Euchariſtiæ & Agni paſchalis: Et generatim loquendo, eandem eſſe vim, præſtantiam, & effectum ſacramentorum utriuſque populi, Judaici & Chriſtiani. Inter alia ſic ait; Quæ igitur Chriſtianorum prærogativa? & ſacramẽta noſtra veteribus quid præſtant? Reſponſio in promptu eſt. Sermonis Prophetici & Apoſtolici eadem virtus. Chriſtus utrobiqúe, ſibiipſi par & ſimilis. Idem de Sacramentis utriuſqúe populi dicendum. *Ergo, ſecundùm Pleſſæum, eundem fructum nos percipimus ex Euchariſtia, quem olim Judæi ex eſu Agni paſchalis. Quid hinc colligis? Si, Pleſſæo credimus, Chriſtianos eſſe pares Judæis; ſi Calvino, pares Chriſto in cœlo exiſtenti.*

Vides, nihil certi eſſe apud Calviniſtas, quando de rebus ipſis agendum eſt. At cum de nudis ſymbolis movetur X.

tur controversia, omnes constanter urgent utramque speciem. Et cur id quæso? An Christus magis sub utraque, quàm sub una præsens est? At secundum ipsos, nec sub una, nec sub utraque præsens est; sed cœlo tantum continetur. An manducatur & bibitur sub utraque potius, quàm sub una? At secundum Plessæum, non aliter manducatur & bibitur in Eucharistia, quàm in baptismo. Si ergo una mersio sufficit ad manducandum & bibendum Christum in baptismo; cur una species non sufficiat in Eucharistia? An major fructus sperari potest ex utraque specie, quàm ex una? At quis ille fructus est? Non alius secundum Calvinum, quàm facere nos certos & securos de vita æterna. At ille fructus, secundum principia Calvinistarum, habetur ante perceptionem Eucharistiæ; quod sic ostendo. Vel enim sermo est de prædestinatis, vel de reprobis. Si de reprobis, illi nunquam certi sunt de vita æterna. Si de prædestinatis, illi per fidem justificantem

tem habent hanc certitudinem. At fi-
des justificans præcedit perceptionem
Eucharistiæ. Quid ergo, si fructum
quærimus, confert Eucharistia? Aut
quid potius utraque species, quàm una
prodest? Nihil video, si Calvini sequa-
ris principia. Prædestinati omnes fidem
habent, quæ deficere non potest. Per
hanc securi sunt de vita æterna. Imò,
omnes fidelium filij ante baptismum
continentur in fœdere promissionis vi-
tæ æternæ: Et sine baptismo salvari pos-
sunt; Nec magis futuri in cœlo beati,
qui baptismo tincti sunt, quàm qui non
sunt. Quid ergo præsidii quærant ex
utraque, vel altera specie? Frustra est,
apud Calvinistas.

At, inquies, aliter Plessæus sentit de
fructu, quàm Calvinus. Scio; sed nihilo
melius. Ait fructum Eucharistiæ, & A-
gni paschalis eundem esse. Ait Christum
non aliter in Eucharistia, quàm in ba-
ptismo manducari & bibi. Aut deni-
que, baptismum nos admittere in fœ-
dus Det; Eucharistiam in eo conservare.

XL

Hæc,

tur controversia, omnes constanter urgent utranque speciem. Et cur id quæso? An Christus magis sub utraque, quàm sub una præsens est? At secundum ipsos, nec sub una, nec sub utraque præsens est; sed cœlo tantum continetur. An manducatur & bibitur sub utraque potius, quàm sub una? At secundum Plessæum, non aliter manducatur & bibitur in Eucharistia, quàm in baptismo. Si ergo una mersio sufficit ad manducandum & bibendum Christum in baptismo; cur una species non sufficiat in Eucharistia? An major fructus sperari potest ex utraque specie, quàm ex una? At quis ille fructus est? Non alius secundum Calvinum, quàm facere nos certos & securos de vita æterna. At ille fructus, secundum principia Calvinistarum, habetur ante perceptionem Eucharistiæ; quod sic ostendo. Vel enim sermo est de prædestinatis, vel de reprobis. Si de reprobis, illi nunquam certi sunt de vita æterna. Si de prædestinatis, illi per fidem justificantem

tem̃ habent hanc certitudinem. At fides justificans præcedit perceptionem Eucharistiæ. Quid ergo, si fructum quærimus, confert Eucharistia? Aut quid potius utraque species, quàm una prodest? Nihil video, si Calvini sequaris principia. Prædestinati omnes fidem habent, quæ deficere non potest. Per hanc securi sunt de vita æterna. Imò, omnes fidelium filij ante baptismum continentur in fœdere promissionis vitæ æternæ: Et sine baptismo salvari possunt; Nec magis futuri in cœlo beati, qui baptismo tincti sunt, quàm qui non sunt. Quid ergo præsidii quærant ex utraque, vel altera specie? Frustra est, apud Calvinistas.

At, inquies, aliter Plessæus sentit de fructu, quàm Calvinus. Scio; sed nihilo melius. Ait fructum Eucharistiæ, & Agni paschalis eundem esse. Ait Christum non aliter in Eucharistia, quàm in baptismo manducari & bibi. Aut denique, baptismum nos admittere in fœdus Dei; Eucharistiam in eo conservare. XL

Hæc,

Hæc, neque universè vera sunt; neque inter se cohærent; neque rem expediunt. Si enim est idem fructus Eucharistiæ & Agni paschalis; quomodo dixit Augustinus in Psalm. 73. Sacramenta non sunt eadem; quia alia sunt Sacramenta dantia salutem; alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi testamenti dant salutem; Sacramenta Veteris testamenti promiserunt Salvatorem. *Rursum, si Christus non aliter manducatur & bibitur in Eucharistia, quam in baptismo; quomodo alius est fructus baptismi, nempe admittere nos in fœdus Dei; & alius Eucharistiæ, nempe in eodem fœdere nos conservare? Denique, si per Eucharistiam conservamur in fœdere; quomodo id potiùs per utranque speciem fit, quam per unam? Et quæro; si prædestinati sub una tantum specie communicarent, an conservarentur in fœdere, nec ne? Si conservarentur; res salva est. Sin minus; quid de iis futurum esset? Dices, conservandos quidem, non tamen*

tamen vi unius speciei; sed vi prædestinationis. At idem dicturus esses in sumptione utriusque speciei. Nam etiam tunc, vi prædestinationis conservarentur. Quid ergo, si fructum spectemus, interest inter unam & utranque speciem? Nondum video. Nisi fortè ad præceptum recurras. Sed de hoc infra. Nunc solum de fructu disputamus.

BALDUINUS.

Relinquo Calvinianos: ipsi viderint, num ea, quæ ipsis tribuis absurda & ἀνάπηρα defendere vel à se propulsare possint. Summa autem tuæ disputationis huc redit: Quoad fructum nihil interest inter unam & utramque speciem; ergo rectè faciũt, qui sub una tantùm specie Eucharistiam accipiunt. Nos verò 1. dicimus, de substantia Sacramenti non ex fructu, sed ex verbis institutionis judicandum esse. Illa docent, quid & quomodo sit accipiendum, ab ijs nos hisce exorbitantibus de fructu disputationibus dimoveri non patimur. 2. fructum Eucharistiæ salutarẽ ex unius speciei perceptione sumi posse pernegamus: quia Sacramentum unius speciei perceptione sumi posse per-

Fructus non est absque inte-gritate Sacramenti.

nega-

negamus: quia Sacramentum unius ſpeciei mutilum, mancum atque imperfectũ eſt, quod tamdiu urgemus, donec oſtendant Adverſarij, Chriſtum ſub una parte terrena utriuſq; partis cœleſtis, corporis & ſanguinis communionem inſtituiſſe. Quam inſtitutionem meritò urgemus etiam quando de fructu quæſtio eſt. Hic enim certò perditur, mutilata illâ, ſiquidem judicium ſibi manducat, qui non dijudicat corpus Domini 1. Cor. 11. v. 29. quæ dijudicatio non tantùm in differentia à cæteris vulgaribus cibis conſiſtit, verùm etiam in legitimâ obſervatione inſtitutionis divinæ, in qua corpus & ſanguis tanquam duo diſtincta in Sacramento conſiderantur: quæ qui ſub una ſpecie ſumtione ſacramentali confundit, certò judicij reus erit, tantum abeſt, ut fructu Sacramenti potiri queat.

BECANUS.

XII. *Relinquo Calviniſtas, quia nihil ſolidi apud ipſos invenio. Negant præſentiam Chriſti in Euchariſtia, contra apertam Scripturæ & ſanctorum Patrum ſententiam. In explicanda manducatione & bibitione ſacramentali, penitus*

penitus inter se dissident. Nullum fructum, qui huic sacramento proprius ac peculiaris sit, proferre omnino possunt. Quanto solidior, verior, & salubrior est Catholicorum doctrina, quæ intitio capitis à me proposita, his paucis assertionibus breviter explicari potest.

BALDUINUS.

De his omnibus Calviniani viderint: nos jam Assertiones tuas ordine considerabimus.

BECANUS.

Prima Assertio. Christus in sacramento Eucharistiæ, sub specie panis & vini, verè, realiter & substantialiter præsens est, ideoq; hoc Sacramentũ dicitur constare, partim speciebus sacramentalibus, quæ oculis cernuntur; partim corpore & sanguine Christi, quæ sub illis speciebus latent. Matth. 26. 26. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. *Cyrillus Hierosolymit: catechesi 4. mystagogica;* Cum Christus ipse dicat, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? XIII.

BAL.

BALDUINUS.

Veriſſima eſt hæc aſſertio, de vera ac reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſuis ſymbolis, modò non per id, (*quæ ſub illis ſpeciebus latent.*) Phyſicam quãdam deliteſcentiam intelligas, ſed realem, quamvis inviſibilem rerum cœleſtium cum terrenis unionem; ubi ſymbola externa videntur, res cœleſtes autem ſenſibus externis non ſubjiciuntur. Scire autem velim, quomodo hæc conciliare velis cum tranſſubſtantiatione veſtra. Si enim juxta tuam aſſertionem Sacramentum hoc conſtat ſpeciebus Sacramentalibus, QUÆ OCULIS CERNUNTUR, quomodo ſubſtantia panis & vini annihilari poſſunt, remanentibus ſaltem quantitate & alijs accidentibus, quæ ſane in oculos non cadunt? Cogita interim de conciliatione, aut fatere errorem veſtrum: ego ad alia progredior.

BECANUS.

XIV. *Altera Aſſertio. Hoc ſacramentum inſtitutum eſt, non ut homines per peccatum mortui, vitam ſpiritualem inde percipiant; ſed ut homines per gratiam vivi, nutriantur, & majores vires*

res acquirant. Hinc rectè vocatur cibus, potus, esca, viaticum. *Nam sicut homo, qui corporaliter vivit, indiget cibo & potu corporali, ad se nutriendum & conservandum corporaliter; sic etiam, qui vivit spiritualiter, indiget cibo & potu spirituali; ad se nutriendum & conservandum spiritualiter. Joan. 6. 53.* Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis, *id est, non conservabitis* vitam in vobis. *Rursum, sicut homini corporaliter mortuo non prodest cibus aut potus corporalis; ita homini per peccatum mortuo non prodest, sed potius obest cibus & potus Eucharistiæ. 1. Corinth. 11. v. 28.* Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

BALDUINUS.

Assentirer & hic, nisi ὕστερόν lateret. Negas homines vitam spiritualem inde

percipere; ſed per gratiam vivos nutri
& majores vires accipere. Quæ verba n
inſidiæ Adverſariorum eſſent notæ, ſi
pliciter ita accipi poſſent, quòd non d
mum fides in Chriſtum (per quem viv
mus ſpiritualiter) per Euchariſtiam conf
ratur, ſed ad ſalutarem ejus uſum affer
tur, & per illud Sacramentum confirm
tur, atque augeatur. Sed aliud ſubeſ
Docent Papicolæ, mortalia peccata u
Euchariſtiæ non deleri, ſed virtutem e
delendi adſcribunt noſtris ſatisfaction
bus ac viribus, quas per Euchariſtiam
confirmari, augeri ac nutriri fingunt. Ho
ſenſu ſi verba illa ſcripſiſti, Becane, egre
gie ſane teipſum fallis & alios. Etſi enim
non diffitemur, mortuos in peccatis ſalu
tarem Euchariſtiæ fructum non percip
re: oportet enim præcedere ſeriam pœn
tentiam & propoſitum emendãdi viram
atque ſic verè pœnitentibus antequam
accedant ad Euchariſtiam, peccata ver
remiſſa ſunt: ſed quia fides noſtra quoti
dianis tentationibus exercetur, unde &
languida & imbecillis redditur, ide
confirmatur, nutritur & augetur per u
ſum Sacramenti, ut jam de gratia Dei ran
pretioſo pignore Sacramenti certificata

firmi

firmiùs amplectatur meritum Filij Dei, ſeque contra tentationes Satanæ ſubinde roboret: unde & crebra repetitione Euchariſtiæ opus eſt, quia tentationes etiam ſemel atque iterum excuſſæ, ſubinde redeunt. De robore verò, augmentatione & nutritione virium noſtrarum ad merendum aliquid nihil quidquam novit univerſa ſcriptura.

BECANUS.

Tertia Aſſertio. Hoc intereſt inter corporalem & ſpiritualem nutritionẽ, quod illa fiat cibo & potu, tanquam duabus rebus diſtinctis; ut aliud ſit cibus, & aliud potus: Hæc autem fiat una re, quæ ſimul cibus, ſimul potus ſit. Itaque Chriſtus, qui totus continetur ſub ſpecie panis, ſub illa eadem ſpecie cibus & potus eſt: idemq; Chriſtus, qui etiam totus continetur ſub ſpecie vini, ſub eadem quoque ſpecie, cibus & potus eſt. Non enim differt cibus & potus in ſpirituali refectione, ſicut differt in corporali. Vnde manducare & bibere, eſurire & ſitire, indifferenter pro eodem ſumuntur in ſcriptura. Matth. 5. v. 6. XV.

Beati, qui esuriunt & sitiunt justi-
tiam, quoniam ipsi saturabuntur
Ioan. 6. 35. Ego sum panis vitæ: qui
venit ad me, non esuriet & qui cre
dit in me, non sitiet unquam.

BALDUINUS.

Assertionē hanc orthodoxam nō agno-
sco. Nam Christum sub una specie panis
cibum & potum esse sacramentalē, absq;
fundamēto scribitur, neq; Jesuwitę quid-
libet affirmanti credendum est. Contra-
dicit enim Institutio Christi, cui plus fi-
dei habemus, quàm sexcentis Jesuwitis:
ibi namque sub pane *manducatio* saltem
instituta & præcepta est, sub vino bibi-
tio; non sub una specie utrumque. Quòd
si ergo sub pane Sacramentaliter simul
adest & exhibetur sanguis, sub vino cor-
pus: necessariò sequitur, cum pane man-
ducari sanguinem, cum vino bibi corpus:
panis enim manducatur, vinum bibitur.
Miseret me tui, Becane: Aut enim adun-
co prorsus naso suspendis verba institu-
tionis; quod de te suspicari nolo: aut i-
psemet fateri cogeris, te incogitātiá qua-
dam in verba institutionis hoc tuo pro-
nunciato turpiter impegisse. Verùm ais,

non

in differt cibus & potus in ſpirituali refectione, ſed differt in corporali. Atqui cùm quæritur quid ſub una vel altera ſpecie accipiatur, *vel de ſpirituali refectione* quæſtio eſt, ea enim in Euchariſtia non niſi perceptione totius Sacramenti fit, non unius ſaltem aut alterius ſpeciei, ut falsò opinaris: ſed de Sacramentali fruitione, ubi ea quæ in Chriſto diſtincta ſunt, diſtinctim etiam exhibentur; corpus cum pane, ſanguis cum vino. Spiritualem refectionem alioquin extra Sacramentum quoque fieri, & quidem modò per manducationem, modò per bibitionem deſcribi, non diffitemur: ſed hoc nihil ad rem præſentem, ubi quæritur, quid, & quo ordine, quibúſque, medijs, in Sacramento ſacramentaliter accipiatur: ubi certam habemus diſpoſitionem Chriſti, à qua nobis diſcedere non eſt integrum.

BECANUS.

Quarta Aſſertio. Hinc fit, ut perinde ſit, ſi nutritionem ſpiritualem ſpectes, ſive ſumas Chriſtum ſub ſpecie panis tantùm, ſive ſub ſpecie vini tantùm, ſive ſub utraque ſimul: quia ubique totus eſt; ubique cibi ac potus ra- XVI.

tionem habet; & consequenter, ubique plenam refectionem præstare potest. Vnde non minor fructus percipitur ex sumptione unius, quam utriusque speciei. Cùm enim totus fructus pendeat à Christo, tanquam à fonte bonorum omnium spiritualium: & is æquè sub una, atq; sub utraq; specie præsens sit: æquè sub una, atq; sub utraq; specie, ubi & potus rationem habeat: necesse est, non minorem fructum ab una, quàm ab utraq; specie sperari posse. Vide, quæ suprà dixi, §. 1.

BALDUINUS.

Ubique totus est Christus, secundùm personalem existendi modum; sed alius est modus existendi Sacramentalis, secundùm quem nequaquam ubique totus est, sed sub quolibet symbolo id Sacramentaliter adest, ex singulari voluntate ac dispositione Christi, quod cum eo in Sacramento unitum est. Habet itaque Christus utrobique sub pane & vino, cibi ac potus rationem, sed distinctè consideratus, sub pane, quoad corpus; hic enim cibus est; sub vino, quoad sanguinem; hic enim potus est. Vnde nullam esse

liquet

quet consequentiam, Christum plenam ubique refectionem præstare posse. Refectio enim non fit, ex sumtione panis sed totius Sacramenti, siquidem fructus Sacramenti non partis sed totius est. Noluit autem Christus plenam utrobiq; refectionem præstare; quia in institutione hujus Sacramenti & corporis sui manducationem & sanguinis bibitionem in sui commemorationem fieri voluit. 1. Cor. 11. v. 26. ad quam commemorationem, etiam spiritualem illam animi refectionem pertinere nemo pius negaverit. Præterea si hoc modo liceret argumentari: cur non totum Sacramentum Cœnæ tollimus: nam & in baptismo reficimur, dum Christi per fidem reddimur participes. Non igitur ad id, quod fieri potest, respiciendum est, sed quid Christus in hoc Sacramento fieri voluit.

BECANUS. XVII.

Quinta Assertio. Porro in perceptione hujus sacramenti, duplex manducatio distinguenda est; una sacramentalis, altera spiritualis. Eos dicimus sacramentaliter manducare Chri-

ſtum, qui hoc ſacramentum, in qu
Chriſtus ſub ſpeciebus ſacramentalib
continetur, ore corporali accipiunt,
in ſtomachum trajiciunt. Eos autem
ſpiritualiter, qui quando ore corporis ſ
cramentaliter manducant Chriſtu
ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ſimul e
iam percipiunt ſpiritualem animæ ref
ctionem, id eſt, gratiã ſacramentalem
qua anima ſpiritualiter paſcitur & ni
tritur. Prior manducatio communis
eſt bonis & malis. Omnes enim tam
boni, quam mali, poſſunt ore corpor
accipere Chriſtum in Euchariſtia: ſic
undecim Apoſtoli boni, & Judas pr
ditor. Poſterior, propria juſtorum eſt
Hi enim ſoli percipiunt ſpiritualem fru
ctum ex ſacramentali manducation
Eſt autem duplex hic fructus: alte
conſiſtit in augmento gratiæ & char
tatis habitualis; alter in auxiliis gra
tiæ excitantis, quibus Deus nos pra
venit, invitat, & corroborat ad ben
beateq́ operandum. Sicut enim in nu
tritione corporis, non ſolum augetur

caro

caro, sanguis & ossa; sed etiam excitantur spiritus sensitivi & vitales, qui apti sunt ad actiones sensitivas & vitales prompte exequendas: sic in nutritione animæ, non solùm augetur gratia habitualis, & alia dona permanentia, sed etiam excitantur motiones divinæ ac supernaturales, quibus homo justus suaviter impellitur & corroboratur ad pia opera prompte exercenda. Atque hæc breviter dicta sint de sententia Catholicorum. Nam cætera, quæ subtiliora sunt, in scholis disputavimus.

BALDUINUS.

Distinctionem inter manducationem sacramentalem & spiritualē eatenus accipimus, quatenus Sacramentalis ore fit, spiritualis fide: illa sub distinctis symbolis, corpus ac sanguinem distinctè accipit; hæc verò totum Christum apprehendit: illa pijs ac impijs communis est, hæc tantùm pijs competit: quod autem ais, in sacramentali manducatione corpus Christi in stomachum trajici, non est τύπῳ ὑγιαινόντων λόγων. Est hoc *naturalis* manducationis consequens, quæ

corpori Christi non tribuitur: non autem *Sacramentalis*, quæ mystica est, & omnem naturæ modum ac rationem excedit: & talis est manducatio Sacramentalis corporis Christi, De Sacramentali gratia, quæ addis, in ijs duo desidero.

1. Quòd soli animæ spiritualem refectionem tribuere videris. Id verò falsum. Nam mens instituentis fuit, ut & caro & anima reficiatur hoc Sacramento: quemadmodum clarè loquitur Irenæus lib. 5. cap. 4. *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ tamen sanguine & corpore Christi nutritur?* Quemamodum enim Baptismus sanctificationẽ totius hominis corporis ac animæ præstat: ita & cœna Domini corporis ac animæ alimentũ est; ex quo fundamento Irenæus corporibus resurrectionem à mortuis promittit, quia corpore ac sanguine Dominico Sacramentaliter pasta sint, *lib. 4. cap. 34.*

2. Quòd gratiam illam Sacramentalem seu fructum Sacramenti Cœnæ consistere ais in augmento gratiæ & veritatis habitualis, ut & in auxilijs gratiæ excitantis, fidem autem omninò præteris. Etsi enim non diffitemur, Sacramentum

Cœnæ

Cœnæ rectè usurpatum, confortare languidos, & ad bona quævis expediunda promtiores reddere: tamen ea omnia ex fide dependent: quatenus illa in homine vel languida vel firma est; ita & studium pietatis in ipsis est vel remissius vel impensius. Fides itaque est, quæ per Sacramenti hujus usurpationem augmentum accipit: crescente fide, crescit etiam bonorum operum studium, per quæ fides solet esse efficax. Gal, 5.

BECANUS.

Sunt tamen quædam objectiones diluendæ, quæ non quidem ab adver- XVIII.
sariis, sed ab ipsis Catholicis exercitii causa, opponi solent; idque eo fine, ut quod hactenus dictum est, melius intelligatur & explicetur. Prima est; si Christus sub una specie continetur semel totus, & sub altera semel totus; Ergo sub utraque continetur bis totus; Ergo plus confert sub utraque, quàm sub una. Respondeo. Negatur ultima consequentia; quia etiam sub una parte panis consecrati continetur semel totus; & sub duabus partibus bis totus;

tus; & tamen, si fructum spectes, perinde est, sive quis sumat unam, sive duas aut tres particulas panis consecrati. Idem est de vino consecrato. Alius plus, alius minus bibit ex eodem calice; & tamen fructus non ideo major aut minor est.

BALDUINUS.

Semper confunduntur modi præsentię personalis & sacramentalis: quos tamdiu urgemus, donec perinde esse doceat Becanus, quocunq; demum modo Christus in Cœna adesse dicatur. Totum Christum sub utraque specie bis contineri, concedit Adversarius; qua phrasi haud dubiè non inclusionem notat, sed præsentiam. Quod si de præsentia Christi personali accipit, non renuo; ita enim omnibus creaturis præsens est: sed hoc nihil ad sacramentum: sin verò de præsentia sacramentali, falsum dicit; non enim totus Christus cum singulis speciebus sacramentaliter unitus est: quod sæpius inculcandum est, quia Adversarius in eundē lapidē sæpius impingit. Deinde & hoc sępissimè dictū fuit, fructū sacramenti non pendere á sumtione unius speciei, sed totius Sacramenti, quod absq; altera

ſpecie mancum eſt : quidquid etiam de totius Chriſti præſentia perſonali (de qua quæſtio non eſt, quæque ad naturam Sacramenti non pertinet, multò minus fructus Sacramenti ex illa promanat) ingeminetur. Denique perperam fructus refertur ad perceptionem ſymbolorum, hoc enim velle videntur ultima verba hujus paragraphi : *alius plus, alius minus bibit ex eodem calice* : quæ verba ad ſolum vinum referenda ſunt. Quòd ſi enim de ſanguine Domini cum vino ſacramentaliter unito accipias, falſiſſima ſunt. Etſi enim vinum ſuam habet in diſtributione menſuram ; ipſe tamen ſanguis Dominicus non dividitur, ut unus plus alius minus bibat, ſed ſumit unus, ſumunt mille ; quantum hic, tantum & ille, nec ſumens conſumitur, ut habet hymnus Eccleſiæ.

BECANUS.

Secunda objectio. Vnaquæque ſpecies per ſe confert effectum ſuum : Ergo plus conferunt duæ, quam una. Reſpondeo cum diſtinctione. Quando una ſpecies ſola ſumitur per modum unius refectionis, tunc confert totum illum effectum, quem conferunt ambæ ſpecies. XIX.

ſimul

simul sumptæ per modum unius refectionis. Quando autem una species sumitur cum alia, tunc partialiter confert eundem effectum. Simile est, de duabus particulis panis consecrati, aut de duobus haustibus vini consecrati. Dices; vel totus effectus datur in sumptione panis; vel totus in sumptione vini; vel pars in sumptione panis, & pars in sumptione vini. Si totus in sumptione panis; jam nihil efficit sumptio vini. Si totus in sumptione vini; nihil efficit sumptio panis. Si pars in sumptione panis, & pars in sumptione vini; ergo plus prodest sumptio utriusque, quam unius speciei. Respondeo. Idem argumentum fieri potest de sumptione duarum particularum panis consecrati; aut de iterato haustu calicis; aut de triplici mersione in baptismo. Dicendum ergo est, totum effectum conferri in sumptione panis: absolutè quidem, si altera species non sequatur; in ordine vero ad alteram, si sequatur. Sicut, si habeas duplicem particulam

hostiæ;

hostiæ; totum effectum consequeris in sumptione prioris: absolutè, si illam solam sumpseris; in ordine verò ad alteram, si illam adjeceris. De duplici hausu par proportio est.

BALDUINUS.

Urgemus iterum, effectum totius non esse tribuendum uni parti. Nutritio spiritualis effectus est totius Sacramenti. Ergo non tribuenda est uni tantùm parti. Ἀναλογία itaque est, quidquid hic disputatur de absoluta consecutione effectus & ordinata ad alterum. Ita nimirum necesse est, sibi ipsis facessere negotium, qui plus fidei habent humanis ratiocinijs, quàm divinis institutis. Nam quando tandem satis fiet conscientiæ hisce vanitatibus? annon satius esset, simplici fide inhærere verbis Christi: Edite, bibite, facite hoc in mei commemorationem? Unde firmissimè cõcluderet mens pia, ad commemorationem mortis Christi in Sacramento, ad consequendum salutarem Sacramenti fructum non sufficere esum, sed & potum requiri, quia utrumque à Christo institutum. Sed gaudeãt his exercitijs seu potiùs lusibus ingenij,

nij, quamdiu voluerint, qui seria pietatis exercitia contemnunt : & pereant tandem in cogitationibus suis, quibus verba Christi sordent.

BECANUS.

XX. *Tertia objectio. Licet totus Christus sit sub una specie non minus, quam sub utraq; : tamen, ut supra dictum est, vi verborum sola caro est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini : Ergo vi verborum plus continent duæ species, quàm una : Ergo etiam plus efficiunt. Respondeo. Parum refert ad effectum Eucharistiæ, an caro vel sanguis Christi sit ibi vi verborum, an per naturalem concomitantiam. Hoc satis est, quod totus Christus non minus sit sub una specie, quàm sub utraque. Nam effectus Eucharistiæ non pendet immediatè à vi verborum, sed ab ipso Christo, qui est præsens in sacramento. Vt hoc melius intelligatur, distinguendi sunt duo effectus, qui pendent à diversis causis. Vnus est præsentia Christi in Eucharistia sub speciebus sacramenta-*

ment alibus. Hic immediatè efficitur vi istorum verborum; Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. *Alter est gratia sacramentalis, seu interna animæ nutritio & refectio. Hic immediatè efficitur à Christo jam præsente: Et de hoc disputamus.*

BALDUINUS.

Multum omninò refert scire, carnem Christi adesse in Cœna ex institutione Christi & non per naturalem concomitantiam. Si enim vi institutionis Christi non adest, certus esse non possum, num caro Christi in Cœna sit manducanda: nam per concomitantiã, quam dicis, etiam alibi adesse potest, ubi tamen non manducatur, eò quòd non adest verbum institutionis. Vides itaque, institutionem Christi, non concomitantiam facere carnem Christi cibum sacramentalem. Id verò perabsurdum est, quòd effectum Eucharistiæ dependere non dicis à verbis institutionis, & tamen à Christo dependere fateris. Utique à Christo dependet, qui in commemorationẽ mortis suæ Sacramentum hoc instituit: malè itaque Christus & institutio Christi divelluntur.

Omnis autem error Becani inde oritur, quod pronũciationi verborũ Cœnæ; Hoc est corpus meum, vim quandam magicam videtur tribuere conficiendi ex pane consecrato corpus Domini. Hoc enim volunt ista verba: præsentia Christi in Eucharistia sub speciebus Sacramentalibus immediatè EFFICITUR VI ISTORUM VERBORUM: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: Qualem vim *Gabriel Biel* verbis Cœnæ à sacrificulis secretè mussitatis quondam tribuit lect. 4. super Can. Missæ: *Consecratio corporis Christi in Sacramento fit occulta aliqua virtute, non insistente ei à quo fit, sed assistente: secundùm quẽ modum venefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur & extrahere lac vaccarum de sedibus, vel manubriis securium, quod non fit naturali virtute incantatorum, neque ex eorum merito; sed virtute occulta, sive mala sive bona assistente.* Consideret pius Lector, quantum absit ab hac extremè blasphemâ sententiâ, dicere præsentiam Christi in Cœna immediatè effici VI verborum, hoc est corpus meum. Ipsa sane verba nullam haberent efficaciã, nisi

Christi omnipotētis Dei verba essent, qui utiq; in institutione sua corporis & sanguinis sui præsentiam esum ac usum promisit, liberaliterq; præstat, quotiescunq; Sacramentum secundùm institutionem ipsius administratur. Concludimus itaq; ab hac institutione Christi utrunq; esse, & quòd præsens Christi corpus sub pane & præsentem Christi sanguinem sub vino habemus; & deinde quòd salutaris utriusque sumptio ad salutem cedit sumenti.

BECANUS.

Quarta objectio. Duæ species simul sumtæ plus significant, quam una: Ergo etiam plus efficiunt; quia efficientia respondet significationi. Antecedens patet, quia duæ species significant integrũ convivium constans cibo & potu: Una species significat alterã tantum partem convivii; ut species panis, solum cibum; & species vini, solum potum. Respondeo cum distinctione. Nam significatio sacramentalis dupliciter spectari potest. Primo, ex parte rei significatæ. Secundo, ex modo tantum significandi. Hoc ostendo in baptismo. XXI.

Exterior enim ablutio spectatur semel, quatenus significat internam ablutionem à peccatis; & semel, quatenus eam significat, vel per unam, vel per trinam immersionem. Idem est in Eucharistia. Nam hoc sacramentum spectatur semel, quatenus significat internam animæ refectionem; & semel, quatenus eam significat, vel unius, vel utriusque speciei sumptione. Si ergo priori modo spectetur, significatio illius semper est æquè perfecta, quia semper est eadem res significata, nempè refectio animæ. Si posteriori, perfectior est significatio sub utraque, quàm sub altera tantùm specie, quia modus significandi est perfectior. Efficientia tamen Sacramenti non respondet significationi ex parte modi significandi, sed ex parte rei significatæ.

BALDUINUS.

Est hoc argumentum *Petri de Palude* dist. 11. artic. 1. & *Bonaventuræ* dist. 8. qu. 2. qui sanè non exercitij gratia, sed seriò ita disputant, ut doceant, in Sacramento hoc dupli-

duplicem debere esse materiam, cibum & potum, unde dependet perfecta refectio. Etsi verò nos argumentum hoc non magnopere urgemus, species Sacramenti efficere fructum Sacramenti: siquidem & impij utraque specie, imò utroque thesauro Eucharistiæ utuntur, & tamen non potiuntur fructu Sacramenti: attamen hoc saltem noto, quòd perperam confert Becanus utriusq; speciei communionem cum trina mersione in baptismo. Hoc enim est, quod constanter ex verbis institutionis urgemus, communionem utriusque speciei ad substantiam Eucharistiæ pertinere, in qua nihil immutare licet; trina verò immersione non ad substantiam, sed circumstantiam baptismi; de qua nihil in institutione habetur: quemadmodum & suprà explicatum fuit.

BECANUS.

Quinta objectio. Si quis in triduo mortis consecrasset Eucharistiam, non percepisset tantum fructum ex una specie, quantum ex utraque, ut multi fatentur. Ergo neque nunc percipimus tantum ex una, quàm ex utraque, quia XXII.

Eucharistia jam non est alia, quã tunc fuisset. Respondeo. Non est simile. Nam in illo triduo Christus erat mortuus; & non solum corpus ab anima, sed etiam caro à sanguine separata. Nunc autem vivus est. Vnde si in illo triduo fuisset facta consecratio; tunc sub specie panis fuisset caro sine sanguine & anima rationali; & sub specie vini fuisset sanguis sine carne & anima rationali. Plus ergo fuisset sub utraq; specie, quàm sub una. Hinc aliqui putant, majorem etiam fructum ab utraq;, quam ab una percipi potuisse. Mihi tamen non videtur hoc sequi. Nam vis & efficacia hujus sacramenti, non pendet præcisè à carne & sanguine, sed potius à Divinitate, seu persona verbi. Cùm ergo in triduo mortis caro Christi, licet à sanguine esset separata, manserit tamen conjuncta cum Divinitate seu persona verbi; retinuit eandem vim & efficaciam, quam nunc habet. Ergo etiam in illo triduo, non major fructus ab utraq; specie, quàm una tantum, sperari potuisset.

BAL.

BALDUINUS.

De efficacia Sacramenti pessimè extra institutionem disputatur. Rectissimè quidem dicitur, in morte Domini vinculum naturale corporis & animæ revera fuisse solutum: vinculum autem personale ☧ λόγ☧ & adsumtæ naturæ manssisse integrum & illæsum: rectè etiam hoc additur, carnem Christi in ipsa morte fuisse vivificam, quippe cum vivificante λόγ☧ tunc etiam unitam: quam ob caussam non saltem πρ☧ λόγ☧ aut divinitati, sed & naturæ cum λόγ☧ unitæ, gratia & efficacia Sacramenti originaliter adscribenda est: Interim tamen, quo medio vel organo Christus efficaciam istam in Sacramento communicare velit hominibus, nusquam alibi docetur, quàm in verbis institutionis: quæ utriusque speciei usurpationem exigunt. Frustra igitur quæritur, an plus sub una vel utraque specie Sacramenti accipiatur, antequam certum sit, & indubitatè demonstratum, citra jacturam institutionis Dominicæ unius speciei usum in Ecclesia esse licitum, cujus axiomatis demonstrationem etiamnum desideramus.

BECANUS.

XXIII. *Sexta objectio. Si est tantus fructus unius speciei, quantus utriusque; quare Christus utranque instituit? & quare Sacerdotes non sunt una contenti, sicut jubent Laicos esse contentos? Respondeo. Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam sacrificium novæ legis. Igitur ratio sacramenti salvari potest in una specie: ratio sacrificii requirit utranque speciem. Laici ergo, qui Eucharistiam accipiunt, ut sacramentum est, una specie contenti sunt. Sacerdotes autem, qui illam, ut sacrificium offerunt, utranque speciem usurpare debent. Plura de hac re in materia de sacrificio Missæ. Hæc pauca pro hoc loco sufficiant.*

BALDUINUS.

Hæc Rhodus est, Becane, hic salta. Et certò scio, te non posse has extricare tricas. Dic ergo, quæso, cur Christus utramque speciem instituerit; & cur sacrificuli non una sint contenti, si una ad salutarem usum Sacramenti sufficit? Hæc non exercitij gratiâ, sed seriò isti vestræ παίγνιολογίᾳ objicimus. Hic omnes ingenij

genij nervi intendendi essent, ut Privilegium illud vestrum laicis probaretis, & Christum à frustraneo quodam actu liberaretis. Sed vide mihi, quid facis? In cæteris ratiuncularum quisquiillis satis facundus ac argutus tibi videbaris in respondendo: jam vix responsionem attingis, & quasi rem non necessariam in aliud forum remittis. Sed non ita elaberis, mi Becane; hic enim est acropolis nostra, ex qua προπυργίσαι vestram expugnamus. Quid ergo tandem ais?

1. Eucharistiã non solùm Sacramentum sed & sacrificium appellas; quod quàm falsum sit, cogita. Nam 1. Christus nuspiam sacrificare jussit aut confi-cere corpus suum, ut loquimini, sed manducare corpus, bibere sanguinem. 2. Sacrificium corporis Christi semper fit in remissionem peccatorum, ideo vocatis propitiatorium: nulla autem fit remissio peccatorum absque effusione sanguinis: In Eucharistia non fit effusio sanguinis à sacrificulo: Ergo Eucharistia non est sacrificium. 3. Christus solus & unicus agnoscitur Sacerdos & victima, quam obtulit æterno Patri in arâ crucis; impium itaque esset dicere, novum aliquod in-

Sacramentum Eucharistiæ non est sacrificium.

Eucharistia instituti sacrificium & quidem propitiatorium, quasi verò Christus unica oblatione non perfectos fecerit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Præterea multa alia, quibus puridum illud commentum de Sacrificio Eucharistico solidè evertitur.

II. Ais, Sacerdotes (ita vocas sacrificulos vestros conficientes) utramq; speciem usurpare debere, quia Eucharistiam ut sacrificium offerunt. Laici qui eam accipiunt contentos esse una. Quid si verò non contenti sint, putásne te jam consuluisse Laicorum conscientijs? quid si urgerent, institutionem Eucharistiæ æquè ad se pertinere quã ad sacrificulos? Quidni cum Eccio vestro respondes: Laici debent esse contenti una specie, quia scilicet, juxta Germanicum proverbium, dentes equi donati non sunt inspiciendi? Ita nimirum homines isti ludibrio habent eos, quos vocare solent Laicos, licèt sint sapientissimi Principes, Reges ac Imperatores potentissimi. Sed esto, sint vestri Conficientes sacerdotes: Suntne verò Sacerdotes, quatenus Eucharistiam accipiunt? minimè gentium: nam *Sacramentum* accipitur, *sacrificium* offertur: Ergo quate-

Eccius in Enchiridio.

quatenus offerre sibi videntur, sint sacrificuli, quando verò corpus & sanguinem oblatum accipiunt, Sacramentum non sacrificium accipiunt: Sacramentum autem ad omnes pertinet: dic ergo sodes, quid hic discriminis? cur ipsi plus accipiunt, quàm Laici, cùm unum sit Sacramentum, unus Sacramenti institutor, unus thesaurus, unus fructus & effectus, quo tam Laici indigent quàm Clerici? Perpende, quæso, istháec, & agnosces sat scio, in conscientia tua, diversum illum (quem fingitis) Eucharistiæ respectum, nodum argumenti non solvere, utut illud coràm fateri te pudeat. Nolo his immorari, præsertim cùm suprà ex Thoma Aquin: demonstratum sit, scholasticos in Papatu consultius existimasse, si utraque species omnibus detur.

CAPUT VIII.

Quæ sint causæ, cur potius sub una, quàm sub utraque specie, Laici communicent?

BECA-

1. *HActenus explicatæ ſunt duæ cauſæ cur Laici non minus ſub una, quàm ſub utraque ſpecie communicare poſſint. Prior eſt, quia totus Chriſtus non minus ſub una, quàm ſub utraque continet ut Poſterior, quia non minor fructus ex una, quàm ex utraque percipitur. Nunc aliæ cauſæ adferendæ ſunt, cur expediat eos ſub una ſpecie potius, quàm ſub utraque communicare. Sunt autem potiſſimum tres. Prima, quia multi ſunt abſtemii à vino. Altera, quia vinum multis locis haberi non poteſt, præſertim in tanta copia, ut multa hominum millia poſſint communicare. Tertia, quia in tanta communicantium multitudine, ſæpè eſſet periculum effuſionis aut irreverentiæ.*

BALDUINUS.

Qualis fuerit duarum illarum, quas vocas, cauſarum explicatio, hactenus vidimus; & permittere poſſumus, ut pius Lector liberè judicet. Nunc aliæ afferuntur cauſæ, cur expediat, Laicos ſub una ſpecie potiùs, quàm ſub utraque communicare. Ubi mirum alicui videri poſſit, an

ab homine melius & utilius aliquod consiliū afferri queat, quàm ab ipso Christo in ipsa Institutione. Quis piorū existimaverit, Christum usque adeò salutis & utilitatis nostræ fuisse immemorem, ut ne verbulo quidem istius commoditatis meminisset, si tantopere expedit & unius speciei communio? Magni ergo ponderis oportet esse causas illas, quæ ipsi sapientiæ æterni Patris præponderare volunt. Primùm ais, propter abstemios id esse consultius Sed cogita, quęso, per amorem Dei, num ita consulueris homini Laico non abstemio calicem petenti; abstinendum tibi est: quia multi sunt abstemij à vino. Quid si regerat ille? quid ad me, quòd unus aut alter vino uti non potest? Egóne qui uti possum, & scio, Dominum & Salvatorem meum utriusque speciei usurpationem instituisse atque pręcepisse, alterius feram culpam, præstantissimaq; parte, cui nominatim addita est promissio remissionis peccatorum, me defraudari patiar? cur vestri sacrificuli non itidem eandem ob causam abstinent à calice? num omnino nullos in clerum suum admittunt abstemios? Qui tenaciùs Papismo adhærent, etiam hoc objicient:

an

an non docuistis me, vinum in Eucharistia transsubstantiarum esse in sanguinem Christi? aut igitur me decepistis, aut frustra me arcebitis a calice, propter abstemios? Quid his & similibus respondurus sis, Becane, ita ut non tantùm dicis causa aliqua dicas, sed tenere Laicorum conscientiæ, quæ fucum verborum aut argutias rationis non admittit, satisfacias, recumdelibera. Nos his & similibus de causis causam istam de abstemijs nullam esse dicimus, imò injustum & summè iniquum, propter paucos abstemios illos abstinere prorsus à sacra Cœna, quibus in isto necessitatis casu succurrit illud Augustini: *Crede & manducasti*, quàm institutionem Christi mutilare & tot Ecclesias calice privare.

Secunda causa ejusdem est farinæ: numquid enim nonnullorum locorum defectus toti Ecclesiæ fraudi esse debet, & quidem contra expressam Christi institutionem? In primitiva sanè Ecclesia nonnunquam bis interdiu, interdum bis in septimana administrata fuit Eucharistia; & de defectu vini nemo quisquam conquestus est. Quòd si maximè sint ejusmodi loca, ubi vini usus non sit: Pastorum

ſtorum tamen eſt officium, quo ad ejus fieri poteſt, providere, ut ad uſum Sacramenti vinum ſemper habeat ad manum, quò pertinet Canon ille 11. Cõcilij Wormatienſis: *Presbyter Euchariſtiam* (non ait panem, ſed Euchariſtiam, quæ utraque ſpecie conſtat) *ſemper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.*

Nam ad ſplendida convivia vinum ex locis valdè diſſitis & tranſmarinis tranſportatur in regiones alias, & in uſum menſæ Dominicæ vinum parari non poſſe, quis credat? præſertim cùm ſinguli non ad reſtinguendam ſitim eo utantur, ſed pauxillo ſatis habeant.

Quòd ſi omninò vinum haberi non poſſit, conſideret pius Lector, num propterea ſit inſtitutio Sacramenti mutilanda, & Laicis denegandus calix, etiam ijs in locis, ubi vinum eſt in magna copia? annon eadem ratio militat in Clericis? ubi enim Sacerdotes copiam vini habere poſſunt, ibi & populus habere poteſt. Quid ſi incidas in illa loca, ubi nullus prorſus eſt uſus panis

quem-

quemadmodum de quibuſdam ſcribit Arrianus libro octavo, num illorum hominum gratia etiam careat tota Eccleſia? Cur non penitus univerſum tolliris Sacramentum? propter Norveges fortè calicem; apud quos vel vinum nullum eſſe, vel aliunde allatum citò aceſcere ſcribitur: propter alios, qui pane carent, panem Euchariſticum. Tam fortis nimirum eſt hęc tua ratio, ut ſufficiens ſit ad eripiendum nobis integrum Sacramentum.

Tertia cauſa reſultat ex inveterato Pontificiorum errore de Tranſſubſtantiatione: ideò metuunt ne ipſe ſanguis Dominicus profundatur, profuſo vino. Sed Sacramentum extra uſum non habet rationem Sacramenti: inſtitutum enim eſt ut edatur & bibatur, & in illo uſu credimus reverâ adeſſe, atque ſumi corpus & ſanguinem Dominicum, cum ſymbolis unitum: quòd autem extra illum uſum unio illa duret, mandatum nullum habemus. Deinde cogitent omnes pij, num adminiſtrantium incuria, aut ſumentium irreverétia tanti ſit, propter quam tot pij & religioſi Chriſtiani à calice arcendi, inſtitutio Sacramenti mutilanda ſit? Cur

non

non potiùs isti trunci aut stipites, si omninò tales sunt, inter sacrificulos Papisticos, ad stivam aut pistrinum remittuntur, si rem sacram reverentiùs tractare non possunt? Præterea constat, ex primitivæ Ecclesiæ historia, etiam tum, cùm periculum effusionis metueretur, non tamen omnes excluso fuisse ab usu calicis, sed ex Laicis etiam admissos eos, à quibus periculum illud non timebatur. Cautione itaque opus est in hoc sacro, non prohibitione aut mutilatione Sacramenti, propter unius vel alterius irreverentiam aut incuriam.

BECANUS.

Hæ causæ sufficientes sunt, si semel statuamus (quod hactenus probatum est, & infra rursus confirmabitur) utramque speciem jure divino non esse necessariam, sed alteram sufficere: Nec plus utilitatis ex utraq;, quàm ex altera percipi posse. Nam si ita est, prudenter abstinere possumus à calice, propter rationes jam allatas. Nec id negant adversarij. Solum urgent præceptum de utraque specie, de quo jam non agi- II.

sus. Excluso ergo præcepto, nihil est, quod amplius objiciant.

BALDUINUS.

Quàm sufficientes hæ causæ sint ad mutilandum Sacramentum, alij judicent, certè magna fuit imprudentia aut invidia Christi Salvatoris & sanctissimi Apostoli Pauli, qui alioquin omne consilium Dei nobis revelavit, quòd rationes illas non præviderunt, & aliquantò cautiùs verba institutionis posuerũt, ne correctione Jesuitica opus habuissẽt. Sed quia hasce causas sufficientes arbitraris, Becane, eo ipso haud dubiè damnas aut tacitè rides egregias illas rationes, quas olim in Concilio Cõstantiensi attulerũt, ut, quòd sanguis non possit commodè de loco in locum portari: quòd vasa possint esse sordida; quòd guttæ possint inhærere longis Laicorum barbis: quòd sanguis in usum Laicorum asservatus possit acescere: quòd vinum consecratum hyberno tempore possit congelari: & quæ sunt nugæ similes: quarum omnium hodiernos Romani sacrilegij patronos pudet. Hypothesibus autem tuis, quibus concessis causas illas sufficere putas ad privationem calicis, nihil aliud oppono; quàm rationes

Act. 20.

Rationes Concilij Constantiensis cur prohibitus sit calix Laicis.

Thomæ

Thomæ tui, ſuprà etiam allatas ex part. 3. qu. 80. art. 12. quibus ſuadet etiam Laicis utriuſq; ſpeciei communionem: nimirũ, *quia ad perfectionem hujus ſacramenti concurrat & manducatio corporis & potatio ſanguinis: ſi ergò ſumatur corpus ſine ſanguine, inquit, erit Sacramentũ imperfectum, quod ad ſacrilegium pertinere videtur. Et hoc Sacramentũ celebratur in memoriam Dominicæ paſſionis, & ſumitur pro animæ ſalute, ſed paſſio Chriſti magis exprimitur in ſanguine, quam in corpore. Sanguis enim pro ſalute animæ offertur: potiùs ergo eſt abſtinendũ à ſumptione corporis, quam à ſumptione ſanguinis: ergo accedentes ad hoc Sacramentum non debent ſumere corpus Chriſti ſine ejus ſanguine*: Hæc Thomas veſter, cujus conſilio morem gerere debebatis.

BECANUS.

Imo, quod magis miror, illi ipſi, qui præceptum urgent, putant eas cauſas, quas jam attuli, tanti momenti eſſe, ut una ſpecies licitè uſurpari poſſit. Nam Joannes Brentius in Apologia pro III.

confessione Wirtenbergensi fatetur, abstemios posse sub una specie communicare. Et Philippus Melanchthon in libro de usu integri Sacramenti, affirmat, Ruthenos ob vini inopiam rectè facturos, si pro vino uterentur medone, seu aqua mellita.

IV. *Ex hac illorum concessione sic argumentor. Si abstemii & Rutheni possunt licitè communicare, & fructum Eucharistiæ percipere, sine specie vini; cur non similiter alii? Dicent sine dubio, obstare præceptum Christi: abstemios & Ruthenos excusari ab observatione præcepti; reliquos non item. Sed frustra. Sic enim insto; Brentius, Philippus, & alii adversarii, putant præceptum Christi in eo consistere, ut una species non sumatur sine altera; vel ut ipsi loquuntur, ut sacramentum Eucharistiæ non mutiletur altera sui parte: Et sacrilegos esse, qui id faciant. Sanè, si ita est, Brentius, Philippus & alii Lutherani omnino sacrilegi sunt, qui contra præceptum Christi, permittunt*

sunt abstemiis & Ruthenis sacramentum altera sui parte mutilatum. Addo hoc dilemna; vel jure divino prohibitum est communicare sub altera tantum specie, vel non est. Si prohibitum est, cur permittitur abstemiis? Si non est, cur reliquis negatur?

Ex dictis colligo hæc duo principia. V.
Vnum est; omnes, tam Catholici, quàm adversarii, permittunt abstemiis communionem sub altera tantum specie: nec unquam auditum est à temporibus Apostolorum ad nos usq;, abstemios fuisse à communione excluſos. Alterum est; Nulli, nec Catholici, nec adversarii, possunt dispensare in præcepto divino; sed quidquid divino jure mandatum est, ut fiat, hoc omnino fieri debet: Et quidquid divino jure prohibitum est, ne fiat, hoc nullo modo fieri debet. Hinc ita concludo; Ergo vel communio sub una specie, non est prohibita jure divino, quod nos contendimus; vel, si prohibita est, non potest fieri dispensatio in illa prohibitione: Et sic abstemii

erunt repellendi à communione. Eligant hic adversarii, quod volunt.

BALDUINUS.

Certum est, utrumque esse contra institutionem Christi, sive alterutra species in communione omittatur, sive alia species, quæ in institutione non est, substituatur. Rectissimè enim ex ipsa institutione pro asserendo integro Sacramenti Eucharistici usu pugnamus contra mutilationem Sacramenti; meritò etiam rejicimus novam Pontificiorum opinionem de mixtione aquæ cum vino Eucharistico: etsi olim Encratitæ propterea damnati sunt, quòd in locum vini, usum aquæ in Sacramento Eucharistiæ substituerunt, undè & Aquariorum nomen sortiti sunt, teste Epiphanio lib. 2. tom. 1. hæres. 47. haud immeritò hodieque improbamus in Calvinianis, quòd ritè sacrosanctam cœnam celebrari autumant, si in defectu panis & vini, id quod panis vel vini vicem vel ex usu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur, ut scribit *Beza* ad Thomam Tilium Epistola 2. edoctus â præceptore *Calvino*, qui idem habet epist.

Elementa S. cœnæ mutantur à Sacramentariis.

epist. 25. in quo consentientem habent *Innocentium* 8. qui loco vini alium liquorem in Sacra Eucharistia concessit Norvegis, teste Volaterrano lib. 7. geograph. Christus enim panem & vinum in hoc Sacramento instituit, non alia Elementa: quæ duo propterea in honorem reverentiamque Christi Magistri nostri neque separare, neque mutilare licet, nisi ipsam Sacramenti substantiam convellere, mutilare, aut immutare libeat.

De Abstemiis.

De abstemijs, hoc est, illis qui naturâ abhorrent â vino, neque unquam gutulam vini hauserunt, suadent nonnulli, † ut una vel altera gutula de vino consecrato immittatur in aquam, porrigendam communicanti: D. Brentius abstemijs illis unam speciem concedit; Sed consilia hæc sunt, non præcepta, neque tamen, si quid tale fieret, pro sacrilegio habendum esset. Nam necessitas non habet legem; & juxta Jurisconsulti pronunciatum, *Leges attingũt ea quæ communiter & ut plerinq; contingunt, non quæ paucis aut raro.* Sic institutio & mandatũ Christi in Sacramento eos simpliciter omnes attingit, quos necessitas non excludit, ad impossibile verò neminem obligat.

† *Vitus Theodoricus.*

Quidquid autem sit de consilio D. Brentij, sanè longè tolerabilius illud est, quàm si propter morbum aut difficultatem paucorum hominũ, tota Ecclesia calice privaretur, quem usurpare nõ modò potest, verùm etiam maximoperè desiderat, & contra hos, qui eum suffurati sunt, anxiè in cœlum clamitat. D. Philippus refert saltem, quod gentes quædam Ruthenicæ mulsum consecrare solent, & sic, quid in casu illo necessitatis interdum fiat, recitat: in Institutione verò nihil mutat, imò eam in toto isto tractatu contra πολυπροσωπίαν gnaviter urget. Quia verò sacramentum Cœnæ non est initiationis, sed confirmationis, adeoque tale, quod extremæ necessitatis non est, omnium optimum consilium est B. Lutheri, Satius esse, Abstemios prorsus abstinere à sacra Cœna, quàm vel una saltem specie uti, vel liquorem mutare, ne autoritatem institutionis divinæ, quæ meritò nobis sacrosancta esse debet, propter illum defectum suum convellere videantur. Interim tamen salutari fructu Sacramenti non carent, quo per fidem potiri possunt, etiam extra usum Sacramenti: consolentur se baptismo suo, qui est stipulatio bo-

Consilium Lutheri de Abstemiis.

næ

næ conſcientiæ cum Deo 1. Pet. 3. libenter & frequenter interſint iſti cœtui, in quo adminiſtratur ſacramentum, cõjungant ſua vota ſuſpirijs communicantium, quæ Deus exauditurus, & non minus atque cæteris fidelibus fidem confirmaturus eſt, vi promiſſionis ſuæ, Qui audit à patre, & diſcit, venit ad me: & qui ad me venerit, eum non excutiam foràs, Johan. 6. Hoc conſilium longè ſalubrius eſt, quàm mutare Elementum, vel intermittere alterius partis uſum, ne conſcientijs tenellis violatæ inſtitutionis divinæ ſcrupulus objiciatur.

CAP. IX.

Eccleſia legitimè ſtatuit, ut Laici communicent ſub una ſpecie.

BECANUS.

SI ſpectemus jus divinum, ſemper in Eccleſia fuit liberum Laicis, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicare, ut hactenus oſtenſum eſt. Si au- 1.

tem ſpectemus jus Eccleſiaſticum, res aliter habet. Nam diverſis temporibus propter diverſas cauſas & occaſiones, fuerunt etiam diverſa præcepta Eccleſiaſtica de hacre. Et quidem Gelaſius Papa, quia videbat ſuo tempore Manicheos ex falſa ſuperſtitione ſemper abſtinere ab altera ſpecie: planè ſtatuit, ut nemo, niſi ſub utraque ſpecie communicaret; alioqui fore, ut Manicheus haberetur, qui à calice abſtineret. Contra verò, Patres in Concilio Conſtantienſi, quia videbant Huſſitas in Bohemia, pertinaciter urgere utranque ſpeciem tanquam ad ſalutem neceſſariam: cum tamen Catholici paſſim ſub altera communicarent: uſum utriuſque ſpeciei, reſpectu Laicorum, penitus ſuſtulerunt: non ſanè, quod putarent eſſe malum & illicitum: ſed partim, ut hac ratione, Huſſitarum errorem corrigerent & damnarent: partim etiam, ut conſuetudinem communicandi ſub una ſpecie, quæ tum multis locis recepta erat, ſuo decreto approbarent, & ſic in

tota

tota Ecclesia, major conformitas & concordia servaretur. Accedebant etiam & aliæ causæ, quas superiori capite explicavimus.

BALDUINUS.

Libertatem illam, quam Ecclesiam Christi de jure divino semper habuisse scribis, sub una vel utraque specie communicandi, nondum probasti. Nam ad exempla quibus id ostendere conatus es, sufficienter responsum fuit. Et certum est, Apostolum Paulum id Corinthijs suis non reliquisse liberum, sed ex mandato Domini tradidit ipsis, quidquid ad administrationem Cœnæ pertinebat, quó referebatur etiam utriusque speciei communio. Unde ipsemet suprà cap. 5. non aussus fuisti ad ipsum usque tempus institutionis, sed tantùm ad annos mille libertatem illam restringere. Sed ea de re plura superiùs: Ex quibus constat, nunquam in Ecclesia libertatem illam receptam fuisse, jure divino, & ne humano quidem, quin fuerint aliqui qui contradixerunt. Quod verò de jure Ecclesiastico adjicis, nunquam probabis, Ecclesiam verè Christianam sibi hoc jus

sum-

ſumſiſſe in Inſtitutionem, diſpoſitionem
atque ordinationem divinam, ut ex ea
aliquid modò reciperet, modò rejiceret,
modò immutaret. Eccleſia enim Chri-
ſti pendet ab ore Magiſtri ſui, juxta il-
lud: oves meæ vocem meam audiunt,
neque patitur, ut verbis Chriſti omni-
potentiſſimis ludatur veluti cum aſtra-
galis, ut, quod hodie verum agnoſcitur
cras prohibeatur tanquam falſum & im-
pium. Si quid ejuſmodi tentavit Eccle-
ſia Romana, quilibet hinc judicet, quo
ſpiritu ducatur: Spiritu nimirum verti-
ginis ac contradictionis. Gelaſij edictum
de communione utriuſque ſpeciei non e-
rat ad tempus adaptatum, ſed in gener
ijs oppoſitum, qui ex falſa ſuperſtition
ab altera ſpecie abſtinebant; quos ſacri
legij reos facit, ut ſuprà audivimus. Pa-
terculi Conſtantienſes docere prius de-
buiſſent, Huſſum erraſſe, cùm utriuſqu
ſpeciei communionem Laicis denegatam
urgeret, & pravæ conſuetudini inſtitu-
tionem Chriſti opponeret. Paterculo
illos uſum utriuſque ſpeciei non malum
& illicitum putaviſſe ſcribis: ita quidem
videbatur, cùm morem primitivæ Eccle-
ſiæ appellarent: quid autem eſt quod co-
cili

Conc. Conſtan. ſeſſ. 13.

ciliabuli istius Procuratores [& Promotores, Henricus de Pico & Johannes de Scribanis *morem perversum nominant*, quem propterea abrogari petunt: Potéstne mos primitivæ Ecclesiæ ab instituto & exemplo Christi & Apostolorum petitus, perversus esse? Ais insuper consuetudinem communicandi sub una specie multis locis fuisse receptam: atqui in memoriam revocare tibi debebas Canones vestros]: *Veritate manifestata cedit consuetudo veritati: nemo consuetudinem veritati & rationi præponat:* & inprimis illud quod ex Cypriano laudatur Canon. 9. Can. 8.

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, &c. Sed hæc omnia susque deque habuit concilium: ita ut non modò consuetudine Ecclesiæ, sed & institutione Christi NON OBSTANTE utriusque speciei usus abrogaretur, & nova quadam lege præposterus Ecclesiæ Romanæ mos confirmaretur. Can. 9.

BECA.

BECANUS.

Propter has igitur prudenter ſtatutum eſt, ut Laici ſub una ſpecie deinceps communicarent. Nec ſine exemplo id factum eſt. Nam ſimile quid contigit olim circa merſionem baptiſmi. Sicut enim jure divino ſemper liberum fuit communicare ſub una, vel ſub utraque ſpecie: ſic etiam jure divino liberum fuit, unam vel trinam merſionem adhibere in baptiſmo. Et rurſum ſicut hac libertate non obſtante, Eccleſia nunc ſub una, nunc ſub utraque ſpecie, voluit Laicos Euchariſtiã accipere: ſic etiam, nunc unam, nunc triplicem merſionem voluit adhiberi in baptiſmo, propter diverſas cauſas diverſis temporibus occurrentes. Et quidem in primitiva Eccleſia, triplex merſio fuit imperata, ad deſignandam Trinitatem perſonarum in una Deitate: idque propter hæreticos illius temporis, qui negantes Trinitatem, una merſione baptiſmum conferebant. Hoc patet ex Canone 49. Apoſtolorum, qui ſic habet: Si quis Epiſcopus

scopus aut presbyter non trinam mersionē unius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, deponatur. *Vide etiam Tertullianum in libro de corona militis, & Gratianū de consecratione, dist. 4. cap. 78. Postea verò novi hæretici orti sunt, qui putabant baptismum iterandum esse, ideoq; baptizatos rebaptizabant. Ad hunc errorem corrigendum, statutum fuit in Concilio Tolet: 4. Can. 5. ut una mersione baptismus conferretur, ad designandam unitatem mortis Christi. Cum enim baptismus repræsentet nobis Christi mortem & passionem, juxta illud Rom. 6. 3.* Quicunque baptizati sumus, in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: *Et Christus semel tantum mortuus sit: nullo modo baptismus iterandus est, sed semel tantum conferendus. Vnde Apostolus Hebr. 6. 6. contra eos, qui putabant in nova lege baptismum repeti posse, sicut in veteri repetebantur lotiones & baptismata.*

smata, sic ait: Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentu habentes. *Et ad Eph. 4.5.* Unus Deus una fides, unum baptisma.

BALDUINUS.

Diversissimam esse rationem communionis sub una specie & trinæ mersionis in baptismo, suprà ostendimus. Illa ad substantiam Sacramenti pertinet: sc quidem Institutio Eucharistiæ non uniu sed utriusque speciei usum requirit; a proinde in eo nulla potest fieri Ecclesi contraria dispositio vel dispensatio: hæ ad circumstantias Baptismi pertinet, ub *baptisari* jubemur, quæ vox simpliciter si gnificat intingere, lavare, vel aqua ablu ere, sive id fiat, vel una vel trina immer sione, unde baptismus ipse lavacrum re generationis ac renovationis vocatur E *phes. 5. v. 26.* In circumstantijs disponere licet Ecclesiæ, quantum pro diversitate temporum ad ædificationem facit; mo dò omnia ordine fiant ac decenter: in substantialibus autem ne quidem angelo in cœlis aliquid mutare licet. Is enim, qui est æterna Patris sapientia omnium opti mè novit, quomodo quibusq; medijs sa lus nostra promovenda sit. BE-

BECANUS. III.

Dices: Vnde habet Ecclesia hanc potestatem, ut possit in alteram partem definire & statuere id, quod jure divino liberum relictum est? Ratio dubitandi est, quia quidquid jure divino permittitur omnibus Christianis, hoc solo jure humano negari aut tolli non potest. Cum ergo jure divino, in baptismo liberum sit, unam vel trinam mersionem adhibere: & similiter in Eucharistia liberum sit, sub una vel utraque specie communicare; quo jure potest Ecclesia, vel unam mersionem in baptismo, vel utranque speciem in Eucharistia prohibere? Respondeo. Ecclesia, vel potius Prælati Ecclesiæ, habent hanc potestatem à Christo. Sicut enim Rex, qui si Vicarium in regni administratione subrogat, solet quædam majoris momenti negotia certis legibus definire, & illi præscribere: alia in ipsius arbitrio ac potestate relinquere: sic Christus agit cum Pastoribus Ecclesiæ, quos quasi Vicarios sibi subrogavit.

III *Quæ enim ad ſacramentorum ſubſtantiam, numerum, & effectum pertinẽt: certis legibus ab ipſo definita ſunt. Reliqua, quæ ceremonias & circumſtantias attingunt, Paſtorum arbitrio ac prudentiæ commendata. Hujus generis ſunt, baptiſmum conferre ſemel vel ter immergendo: Euchariſtiam ſumere ſub una, vel utraque ſpecie; ante vel poſt cœnam: dominico aut alio die: lotis vel non lotis pedibus: & his ſimilia. De quibus loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 11. 34. cum ait;* Cætera, cum venero, diſponam. *Vide Auguſtinum epiſtola 118. ad Januarium, ubi pulchrè de hac re diſputat.*

BALDUINUS.

Meritò quærimus à Pontificijs, ſi communionem utriuſque vel unius ſpeciei jure divino liberam ſtatuunt, (ut quidem hodiè ea de re diſputant) cur ergò ſub anathematis pœna Laicis altera ſpecies interdicatur? reſpondes, Eccleſiam ſeu prælatos Eccleſiæ habere hanc poteſtatem à Chriſto diſponendi in ceremonijs ac circumſtantijs. Atqui jam ſæpè oſten-

oſtendimus, communionem ſub utraque ſpecie nequaquam eſſe ceremoniam aut circumſtantiam Sacramenti, ſed ad ſubſtantiam ejus pertinere, ita ut ſub reatu judicij immutari nequeat, ut ex Paulo audivimus. Prudenter autem facis, & ſi ex animi ſententia iſta ſcribis, piè atque rectè, quòd ais, quæ ad ſubſtantiam, numerum & effectum pertinent, certis legibus ab ipſo Chriſto definita eſſe. Quod ſi ita eſt, peſſima ſanè ratio eſt Gregorij de Valentia, qui ſcribit in lib. de miſſa fol. 95, *propter* CONTRARIAM *Eccleſiæ diſpoſitionem, Laicis calicem dari non poſſe juxta Chriſti inſtitutionem*: ita enim optimæ Chriſti diſpoſitioni anteponitur contraria Eccleſiæ diſpoſitio: Neceſſe etiam eſt, te negare, Eccleſiam in rebus fidei aliquid ſtatuere poſſe præter Scripturam, quod cæteri contendunt Pontificij, ſiquidem leges ac diſpoſitiones CHRISTI omnes in Scriptura comprehenſæ ſunt; poſito igitur hoc, quod ſuprà oſtendimus, & verba Inſtitutionis clarè docent, communionem ſub utraque ſpecie non ad circumſtan-

tias vel ceremonias, ſed ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere: conceſſo etiam altero, quod & tu fateris, Eccleſiam non habere poteſtatem aliquid mutandi in ſubſtantia Sacramenti: neceſſariò ſequitur, impium eſſe Eccleſiæ Romanæ decretum, quo Laicis & Clericis non conficientibus ſub anathematis pœna interdicit altera ſpecie Sacramenti, ſine qua Sacramentum mutilum & imperfectum, imò nullum eſt.

CAP. X.

Solvuntur objectiones ex ſcripturis.

EXplicavi hactenus ſententiam Catholicorum, qui docent nullum extare præceptum divinum de utraque ſpecie: ac proinde unam ſpeciem licitè uſurpari poſſe, & ſemper in Eccleſia uſurpatam eſſe: idq; non minori fructu, quàm ſi ambæ ſpecies uſurpentur. Nunc adverſariorum argumenta diſſolvenda ſunt, quæ ipſi contra hanc doctrinã

adfe-

adferunt. Sunt autem triplicia: quædam ex ſcripturis: alia ex Patribus: alia denique ex ratione deſumpta. Singula ordine diſcutiemus.

Et quidem omnes adverſarii, ut ſupra monui, quærunt in ſcripturis præceptum de utraque ſpecie; nec tamen inveniunt. Huſſitæ quærunt in illis verbis: Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem ejus. *Lutherani in illis:* Hoc facite. *Calviniſtæ in illis:* Bibite ex eo omnes. *Alij ex illis;* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. *Sunt ergo quatuor objectiones petitæ ex ſcripturis, quas jam perſequar.* II.

Prima ſumitur ex illo Johan. 6. 53. IIA. Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. *Hic volunt Huſſitæ contineri præceptū Chriſti de utraq; ſpecie. Nos negamus. Et quod mirum eſt, nobiſcum negant Lutherani & plerique Calviniſtæ: non tamen eodem principio. Illi, quia putant*

tant ibi non agi de ſacramentali manducatione: Nos, quia tametſi fateamur agi de ſacramentali manducatione, negamus tamen fieri mentionem utriuſque ſpeciei. Igitur duo nos aſſerimus. Vnum, Chriſtum loqui de ſacramento Euchariſtiæ. Alterum, non tamen præcipere utranque ſpeciem. In priori ſuffragantur nobis Huſſitæ; in poſteriori, Lutherani & multi Calviniſtæ. Vtrumque explicandum eſt.

IV. *Primo ergo dicimus, Chriſtum in illo cap. 6. apud Joannem, loqui de triplici cibo. 1. de materiali. 2. de ſpirituali. 3. de ſacramentali. Sicut enim in aliis rebus ſolet ſuos auditores ad ipſorum captum inſtruere, paulatim à nobis ad incognita, à ſenſibilibus ad occulta, à corporalibus ad ſpiritualia progrediendo; ſic etiam hic facit. Et quidem in principio capitis agit de panibus à ſe multiplicatis, quibus turbæ corporaliter fuerant paſtæ & ſatiatæ. Et quia propter hoc miraculum, ipſum ſequebantur, inde ſumpta occaſione hortatur eos, ut potiùs quærant cibum ſpiritualem, quæ*

corporalem. Operamini, *inquit*, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Hinc ulterius progreditur ad cibum sacramentalem, cum ait*; Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. *Et iterum*: Nisi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis sanguinẽ ejus, non habebitis vitam in vobis. *Ac deinceps*; Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verê est potus. *Et denique*; Non sicut manducaverunt Patres vestri mãna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *Hæc & similia dixit Christus de sacramentali manducatione suæ carnis, & bibitione sui sanguinis. Et credebat illi Petrus, & quidam alii ex Apostolis: Judas autem, & Capharnaitæ non credebant, de quibus ipse ait*; Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. *Hos imitantur Lutherani, & multi Calvinista.*

V.

Secundo dicimus (quod ad rem præsentem pertinet) illa verba, Nisi

manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *continere quidem præceptum de sumenda Eucharistia: non tamen de utraq; specie. Duo enim spectari possunt. 1. substantia sumptionis. 2. modus sumptionis. Substantia in eo consistit, ut quis manducet carnem Christi & bibat ejus sanguinem. Modus autem in eo, ut quis hoc faciat sub una, vel sub utraque specie. Igitur substantia sumptionis est in præcepto: non modus. Vult enim Christus, ut manducemus carnem & bibamus sanguinem ipsius: non tamen vult, ut id faciamus sub utraque specie. Hoc evidenter ostendo, quia nec in verbis citatis, nec in toto capite fit ulla mentio vini aut calicis: Ergo neque ex illis verbis, neque ex toto capite convinci potest præceptum de utraque specie. Imò, nec probabiliter inde colligi potest. Vnde enim? An ex voce* carnis & sanguinis? *At jam sæpè dixi, carnem & sanguinem Christi non minus sub una*

specie,

specie, quàm sub utraque contineri. Si ergo possum habere carnem & sanguinem sub una specie: quæ est necessitas utriusque? An ex voce manducandi & bibendi? *Ne hoc quidem. Nam supra etiam ostendi*, manducationem & bibitionem *sæpè pro eodem sumi. Et Paulus 1. Corinth. 3. 2. ait*; Lac vobis potum dedi: *postea cap. 9. 7. dicit*; Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? *Si ergo juxta Paulum, idem est lac bibere & manducare; cur non idem sit, Christum bibere & manducare? Non desunt alia exempla. An non Regius Propheta dixit, Psal. 68. 22.* Dederunt in escam meam fel? *quod tamen alio vocabulo, sed eodem sensu interpretatus est Evangelista, Matth. 27, 34.* Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. *Ecce, fel bibitur & manducatur: & hoc capiunt adversarii. Cur non capiunt, cum dicimus, Christum sub una specie bibi & manducari?*

BALDUINUS.

BALDUINUS.

Caput ſextum Johannis ad negotium Euchariſticum non pertinere, neque de ſacramentali ſed ſpirituali manducatione agere, quæ etiam extra Euchariſtiam fieri poteſt, ſuprà cap. 1. ſat multis demonſtravimus: ideo neceſſe non eſt, ut ex illo pro utraque ſpecie Sacramenti pugnemus. Interim tamen ut ex hypotheſi tecum agam, Becane, ſi de Sacramento ibi agitur, non video quî non conſtringaris loco allegato. Nam expreſsè ibi cibi potuſque fit mentio: item carnis & ſanguinis. Ergo utrumque ad Sacramentum pertinet, & ut caro manducetur, & ut ſanguis bibatur: qui hoc non fecerit, non habebit vitam æternam, utriuſque ergo ſpeciei uſum præcepit, ſi de Sacramento ibi agitur. Tu verò duo excipis: Primùm velle quidem Chriſtum manducationem carnis & bibitionem ſanguinis, ſed non velle, ut fiant ſub utraque ſpecie, quia in toto capite nulla fiat mentio vini aut calicis. Atqui, Becane, 1. hoc ex veſtra hypotheſi neceſſe non eſt, qui vinum in ſanguinem tranſſubſtantiatum creditis: ſatis ergo eſt ad oſtendendam alteram ſpeciem, nominaſſe ipſum ſanguinem.

2. Suffi-

2. Sufficit distinctorum actuum fieri mentionem, manducationis atque bibitionis: quarum illam ad carnem, hanc ad sanguinem referendam esse, nemo dubitat. Quòd enim cum pane caro manducanda, cum vino sanguis bibendus sit in Eucharistia, docent verba institutionis, & sic geminam habes speciem.

Deinde dicis: *Si possum habere carnem & sanguinem sub una specie: quæ est necessitas utriusque?* Atqui necessitas est in dispositione, ordinatione, atque voluntate Christi instituentis. Is ita voluit ac disposuit, ut non sub una specie utrumq;, sed sub pane corpus, sub vino sanguis sumatur, uti sæpè dictũ fuit. Non enim locum habet hîc maxima Philosophica: *Quod fieri potest per pauciora, non opus est, ut fiat per plura:* aliàs uno impetu totum Sacramentum Cœnę evertere possemus, imò Sacramenta omnia.

Quid enim dicturus esses; si Lucianus aliquis assurgeret; habetis Christum per fidem in cordibus vestris, induistis Chri-

Christum in Baptismo: quæ est ergo necessitas Eucharistiæ, imò quæ necessitas Sacramentorum, cùm ea omnia haberi possint in verbo? nimirum si pius es, haud dubiè ipsum ad institutionem Sacramentorum remissurus esses, ubi Christus disposuit alium modum, quo se nobis cum omnibus beneficijs communicare vult: eódem ergo te quoque remittimus; & apparebit, necessitatem esse summam utriusque speciei, nisi institutioni Salvatoris omnem reverentiam denegaveris. Quidquid ergo sit de lacte, quod edi bibique posse scribis (an de lacticinijs, vel lacte coagulato nihil tibi in mentem venerit, cùm ista legeres, *quis pascit gregem & DE LACTE non manducat*; non contendam) vides longè aliam esse corporis, sanguinisque Christi perceptionem in sacra Cœna, quorum illud sub pane manducandum, hic sub vino bibendus institutus est: quem ordinem absque convulsione totius Sacramenti convellere nemo potest.

BECANUS.

VI. *Puto satisfactum esse Hussitis. Nam si in toto illo capite, quod illi nobis objiciunt*

dunt, nulla fit mentio utriusq; speciei: nec ex ullo apice colligi potest ejus necessitas: quid habent, quo urgere nos possunt? Nihil video. Sed tamen ego habeo, quo illos urgere possum: Et quidem ex eodem capite. Nam Christus cum dixisset; Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem: *Postea subjecit;* Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *Hic quæro, quid Christus intelligat per panem? vel enim intelligit solam speciem panis: vel intelligit seipsum, id est, carnem & sanguinem suum. Si solam speciem panis: necessario sequitur contra Hussitas, solam speciem panis sufficere ad salutem. Nam hic erit sensus verborum Christi;* qui manducat hunc panem, *id est, Eucharistiã sub sola specie panis,* vivet in æternũ. *Si autem intelligit seipsum, id est, carnem & sanguinem suum: iterum sequitur contra Hussitas, non solum carnem,*

sed

sed etiam sanguinem Christi manducæri. Erit ergo hic sensus verborum; Qui manducat hunc panem, *id est, qui manducat carnem & sanguinem meum*, vivet in æternum. *Idem ergo est manducare & bibere, quod nos contendimus.*

BALDUINUS.

Mirum est, quòd non chartæ & calamo peperceris istis λειτουργίαις. In verbis illis, *qui manducat panem hunc, vivet in æternum*, Christus seipsum intelligit, fide apprehensum, quæ est spiritualis manducatio panis vitæ. Si maximè de Sacramentali manducatione intelligi posset, (quod tamen non concedimus) Synecdoche esset in voce panis, quemadmodum Paulus corporis tantùm meminit, quod non dijudicatur ab indignis, 1. Corinth. 11. v. 29. à quo in præcedentibus non excluſit sanguinem: & quemadmodum Apostoli dicuntur baptisasse in nomine Christi, Actor. 2. v. 38. 10. v. 48. 19. v. 5. à quo tamen reliquæ duæ personæ sacrosanctæ Trinitatis non excludunsur.

BECA-

BECANUS.

Hactenus probavi ex nostris principiis contra Hussitas, nõ posse colligi præceptum utriusq; speciei ex verbis supra citatis. Possum idem probare ex principiis Lutheranorum & Calvinistarum, qui putant citata verba, non de sacramentali manducatione & bibitione, quæ fit per speciem panis & vini: sed de spirituali, quæ fit per fidem, intelligi oportere. Hoc autem sic facio. Vel Lutherani & Calvinistæ putant vi illorum verborum, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem; *necesse esse, ut sigillatim uno actu fidei manducetur caro Christi, & alio actu fidei bibatur sanguis Christi: vel certè putant sufficere, ut unico actu simul mãducetur & bibatur Christus, & consequenter idem sit, fide manducare, &, fide bibere. Illud prius non dicent: quia putant satisfieri præcepto, si totũ Christum pro nobis mortuũ & crucifixũ, uno actu fidei simul apprehendamus. Si ita est, cur nõ similiter dicamus satisfie-*

VII.

tisfieri præcepto, si totus Christus sub una specie manducetur & bibatur? Aut quid necesse est, sigillatim manducare carnem sub specie panis: & sigillatim bibere sanguinem sub specie vini? Sat multa de prima objectione, quæ est Hussitarum.

BALDUINUS.

Aliter sese habet spiritualis manducatio, quæ fide fit, etiam extra Sacramentum: aliter sacramentalis, quæ ore fit, tantùm in Sacramento. Illa uno actu totum apprehendit Christum cum omni suo merito: & juxta illam Christus & manducari & bibi dicitur: hic autem certum habet verbum institutionis, in quo voluntas & dispositio Christi extat, quo modo atque ordine in Sacramento accipi velit, nimirum secundùm distinctas corporis sui partes distinctim, secundùm corpus in pane, secundùm sanguinem in vino. Hæc est illa necessitas, quæ distinctam à nobis requirit manducationem & bibitionem Christi in Sacramento: cui meritò cedere debebant omnes rationis humanæ argutiæ: quæ etiam in rebus humanis non semper valent.

lent. Nam de anima dicunt Philosophi, quod sit in toto corpore tota & in qualiber parte tota, nõ tamen sequitur, ergò per aurem videt, per oculum audit : sed per illud organum, quod cuique sensui Deus destinavit. Ita quoq; non sequitur, Christus est in toto Sacramento totus, & in qualibet ejus parte totus : ergò cum Pane bibitur, cum vino manducatur : aut sub qualibet parte totus manducatur & bibitur : sed Christus suum cuique actui tribuit symbolum, ita ut caro cum pane comedatur, sanguis cum vino bibatur. Hîc pes figendus est : aliter in hac disputatione divina sapere nobis non est concessum.

BECANUS.

Secunda objectio, sumitur ex illo Lucæ 22. 19. Hoc facite in meam cõmemorationem. *Hic jubet Christus, ut Apostoli faciant, quod ipse fecit. Ipse autem distribuit omnibus præsentibus utranque speciem: Ergo & Apostoli, & eorum successores debent utranque speciem distribuere. Respondeo. Valdè miror adversarios, quod hunc locum* VIII.

nobis objiciant: idque duplici de causa. Primo, quia de sensu illius, inter se ipsi dissentiunt. Lutherani volunt ad omnes fideles: Calvinistæ ad solos Ecclesiæ ministros pertinere. Hanc litem inter se primum componant. Secundo quia nihil inde contra nos evincunt. Hoc ostendo. Nam illa verba, Hoc facite in meam commemorationē, *non habentur, nisi apud Lucam & Paulum. Cæteri Evangelistæ ea omiserunt. At tam Lucas, quam Paulus, ponit illa post sumptionem panis, non autem post sumptionem calicis: Ergo ex illis non potest colligi præceptum de sumptione calicis. Frustra ergo fatigant se adversarii. Dicent forte, tametsi post sumptionem panis sint posita, tamen repeti oportere post sumptionem calicis. At unde hoc constat? Sanè Lucas non repetivit. Paulus repetivit quidem, sed cum hac moderatione;* Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. *At cum hac moderatione non continent præceptum*

de

de sumptione calicis, sed tantum de commemoratione mortis & passionis Christi: idq; non absolutè, sed sub conditione. Non enim absolutè præcipitur illis verbis, ut bibamus calicem: sed sub conditione præcipitur, si velimus bibere calicem, ut faciamus hoc in memoriam Christi. Simile est, quod dixit Christus in Evangelio; Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Hic non præcipit absolutè, ut vendamus omnia nostra, & demus pauperibus: sed sub conditione, ut id faciamus, si velimus sequi perfectionem Evangelicam. Eodem modo cum dicit;* Tu autem cum oraveris, intra in cubiculū tuum: *non præcipit absolutè orationem, sed si volumus orare, ut sine inani gloria id præstemus. Ejusmodi exempla sunt infinita in scriptura. Et sanè res tam perspicua est, ut non egeat majori declaratione. Solum condoleo simplicioribus, qui tam misere ab adversariis illudantur.*

BALDUINUS.

Argumentum hoc tam clarum, tamque manifestum est, ut nihil solidi ab omni acumine Jesuitico contrà inveniri queat. Hîc enim mandatum illud Christi habemus & præscriptum luculentum, quid in Eucharistia faciendum, quid omittendum sit: quod & Apostolus post resurrectionem Christi à Domino accepit in gloria, & usque ad consumationem seculi sanctè observandum esse docuit. Hoc est mandatum illud, quod in ipsa Instit: continetur, & tamẽ ab Adversario ab Institutione sub initium disputationis sequestratum fuit. Et quia identidem ingeminabat, nullum omnino extare de utriusque speciei communione præceptū; summo cum desiderio expectabam, ecquid ad isthæc verba dispositiva atque mandatoria utrique speciei addita, HOC FACITE, ACCIPITE, ut & ad illa, cuivis speciei seorsim addita: EDITE, BIBITE, dicturus esset. Jam verò crepitum pro responso accipit Ecclesia Christi, quæ jampridem, vi istius præcepti, restitutionem calicis jure meritóque postulavit.

Primùm Lutheranos ait, & Calvinistas de sensu istius mandati dissentire. Sed quid hoc ad rem? Nam ut suprà dixi-

mus, ſive ad ſolos miniſtrantes ſive etiam ad communicantes mandatum illud referas; neceſſaria eſt utriuſque ſpeciei communicatio, niſi vim inferas præcepto Chriſti. Nam ſi ad ſolos referas miniſtrantes, jubentur illi facere, quod Chriſtus fecit: Chriſtus autem non edit conſecratum panem (hoc enim apud nullum Evangeliſtam legitur) ſed diſtribuit non modo panem, ſed & calicem OMNIBUS ſuis communicantibus: Idem ergo & diſcipuli facere jubentur: nimirum, non edere panem conſecratum, & bibere de calice benedicto, ſed alijs utramque ſpeciem communicare. Si ad communicantes etiam referas, res nulla eget demonſtratione. Hi enim & edere & bibere jubentur, idque omnes feciſſe Marcus teſtatur, & Paulus non ad ſolos Apoſtolos refert, verùm ad omnes, qui ſe probare poſſunt, quique invocant nomen Domini in omni loco. Non igitur eſt, quod mireris, Becane, cur locus hic vobis objiciatur. Nam hic ipſe locus ſedes eſt hujus myſterij, & quocunque te vertas, vides ipſe, hic utriuſque ſpeciei ſumtionem mandari: ac proinde fruſtra toties ingeminaſti, nullum ea de re mandatum extare.

Deinde objicis: illa verba, *Hoc facite in mei commemorationem* tantùm poni post sumtionem panis, non autem post sumtionem calicis. Sed cum videres hæc manifeste esse falsa, statim revocas hoc erratum, quod tamen excusare conaris. Paulus, inquit, repetivit quidem, sed cum hac moderatione, Hoc facite quotiescunque biberitis in meam commemorationem: non ergò absolutè præcipit illis verbis, ut bibamus calicem: sed sub condi-

Illud: Quotiescunque, in verbis Institutionis non est conditionale

tione, si velimus bibere calicem, fieri id debere in commemorationem mortis Christi: sed cui, quæso, hoc persuadebis: illam particulam, *quotiescunque biberitis*, conditionalem esse, quæ alterius speciei usum nobis liberum relinquat, ita ut ab ea abstinere valeamus? Contrarium potiùs inde probatur, quòd nimirum Christus illam mortis suæ commemorationem & edendo & bibendo fieri velit, non ad tempus aliquod, sed quotiescunq; Sacramentum celebraverint, usque ad consummationem seculi. Cur non ex eadem particula liberum facis etiam panis Eucharistici usum, quia vers. 26. dicitur, quotiescunque manducabitis panem

nem hunc? Nimirum hoc quærit diabolus, ut tandem cuique liberum faciat, quid de qualibet ſpecie Sacramenti ſentiat, quidquid Chriſtus contrà præcipiat. Nihil hic exaggerabo: vident omnes pij, quô tendat iſta gloſſa.

3. Conjungit Apoſtolus mandatum de poculo per adverbialem particulam ὡσαύτως ſimiliter (quod oportunè monuit Dominus Chemnitius, quaſi prævidiſſet hãc Papiſtarum gloſſam) oſtendens nimirum eodem modo præcipi ſumtionem calicis, quo mandata erat manducatio panis: utrinque abſque conditione, utrunque etiam in hunc finem, ut fiat commemoratio mortis Dominicæ.

4. Commemorationem mortis Dominicæ non fieri ſola panis vel corporis manducatione; ſed & vini ſeu ſanguinis ſumtione, perſpicuè docet Apoſtolus Paulus, quando utramque ſpeciem conjungit verſ. 26: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*: & in ſe abſurdum eſt, tantùm in ſumtione panis, non autem in ſumtione alterius ſpeciei mortis Dominicæ commemorationem fieri oportere.

Etsi ergo præceptum, *Hoc facite*, de commemoratione mortis Dominicæ saltem loqueretur, apparet nihilominus, istam commemorationem non unius aut alterutrius, sed utriusque partis participatione fieri debere. Non igitur est, quod condoleas nostris hominibus, quos verba Christi, & Apostoli non decipiunt: videre autem vos, viri Jesuitæ, quid olim responsuri sitis Filio Dei, quòd in gratiam Cathedræ Romanæ mandatum ejus tam luculentum, tam illustre, contemnere voluistis, ad quod non nisi tam frivola & apertè falsa effutire potuistis. Fac hoc Principis tui mandato: finge & refinge glossas, ne parére cogaris: & vide, quam reportaturus sis gratiam.

IX. BECANUS.

Tertia objectio sumitur ex illo Matthæi 26. v. 27. Bibite ex hoc omnes. *Vrget hæc verba Calvinus l. 4. inst. cap. 17. §. 47. cum ait;* Edictum æterni Dei est, ut omnes bibant. *Et §. 48.* Præcipientis verba sunt, Bibite ex hoc calice omnes. *Respondeo. Calvinus spectat verba, non sensum: ideoque simplici lectori fucum facit. Non enim*

enim voluit Christus, ut absolutè omnes biberent ex eo calice; sed ut omnes Apostoli, qui præsentes erant. Hoc patet ex ipso contextu. Cum enim divisisset panem Eucharisticum in varias partes, & singulis Apostolis singulas porrexisset; calix autem eo modo dividi non posset; uni ex Apostolis integrum porrexit, cum hac cautione, ut non putaret totum sibi ebibendum esse, sed aliquid inde degustandum, ac deinde reliquis ordine porrigendum. Itaque verba illa, Bibite ex hoc omnes, *perinde valent, atque illa, Lucæ 22.7.* Accipite, & dividite inter vos, *id est, unus non exhauriat totum calicem, sed singuli aliquid bibant. Quod & factum est, ut testatur Marcus cap. 14.24. cum ait*; Et biberunt ex eo omnes. *Vtique illi omnes ex eo biberunt, quibus dictum erat à Christo*; Bibite ex hoc omnes. *Quid quæso hic difficultatis est? non plus, quàm si paterfamilias, arrepto calice recentis musti, modicè eum degustaret, & postea filiis degu-*

standum porrigeret cum hac formula; Bibite ex hoc omnes, *id est, singuli modicum aliquid inde capiant: nemo solus totum exhauriat. An propterea, quotquot extra familiam illam essent, putarent se cogi præcepto, ut ex eodem calice mustum gustarent? Ridiculum sanè.*

BALDUINUS.

De præcepto, Bibite ex hoc omnes.

Sive Calvinianus, sive alius quispiam hoc argumento utatur, verum est & adamantinum, cujus firmitatem Pontificij sentiunt in conscientia, ideo nihil nisi delitias facere possunt loco responsi.

Primùm restringis hoc mandatum ad solos Apostolos: ad quod respondeo: 1. Apostolos sanè primæ cœnæ interfuisse concedimus, sed quæritur, num ut Apostoli, an ut fideles Sacramentum acceperint. Utique non erant tunc conficientes: ergo non ut conficientes; sed ut fideles sive Laici accipiebant. 2. Si illud *Bibite ex hoc omnes* ad solos pertinet Apostolos, quid ni & illud *Edite*? Et sic Laicis nullus omninò patet aditus ad Eucharistiam. 3. Si solis Apostolis dictum est,

Bibite

Bibite ex hoc omnes, cur non abstinent à calice etiam hodierni sacrificuli, qui neque sunt Apostoli, neque primæ Cœnæ interfuerunt.

Deinde egregiam illam glossam, *Bibite ex hoc omnes, id est, unus non exhauriat totum calicem, sed singuli aliquid bibant*, ex lib. 4. Bellarmini de Eucharistia cap. 25. mutuatus est. Sed quis hic, à risu vel ab indignatione dicam? sibi temperet, cùm viderit verba sanctissimi & sapientissimi magistri ab istis hominibus tam scurriliter tractari? Longè hic alia ratio est, quã in communi quadam Cœna, ubi poculum musti plenum à Patrefamilias dividitur inter liberos excluſa familia: talem cœnam absolverat jam Dominus, in qua poculum illud valedictorium inter discipulos distribuerat: jam Sacramentalis Cœna, eaque hactenus inaudita celebratur: in qua non vulgare poculum, sed poculum consecratum exhibetur, cum sanctissima asseveratione, esse illud novum Testamentum in sanguine Christi. Et hoc Sacramentum non pro Apostolis institutum est, exclusis cæteris, sed Apostoli repræsentabant tum totam Ecclesiã.

Caveæ

Caveant ſibi itaque Luciani iſti, ne quatuor illa verba, *Bibite ex hoc omnes*, ipſis aliquando ſint fulmina, Nos interim argumentum hoc verè invictum agnoſcimus: Quos jubebat panem edere, eos omnes jubebat ex calice bibere. Non ſolùm Apoſtolos, ſed & fideles omnes jubebat panem edere, quod niſi ad miraculum impudentes fuerint, non negabunt Adverſarij. Ergò non ſolos Apoſtolos ſed & fideles omnes jubebat ex calice bibere.

BECANUS.

X. *Sed inſtant adverſarii hoc modo: Iiſdem dictum eſt*, Bibite, *quibus dictum eſt*, Manducate. *At hoc dictum eſt omnibus: Ergo & illud. Reſpondeo. Vel ſtupidi, vel importuni ſunt, qui ſic agunt. Iam oſtendi, ſolis Apoſtolis præſentibus dictum eſſe*, Bibite. *Iiſdem dictum eſt*, Manducate. *Et quid opus eſt nova probatione? Perſiſtam in exemplo paulo ante allato. Si paterfamilias tempore cœnæ, diceret famulis & ancillis præſentibus*, Manducate & bibite; *an ideo cenſeretur*

omnes

omnes extraneos præcepto cogere ad manducandum & bibendum? Non opinor. Eodem modo fecit Christus. Dixit Apostolis in ultima cœna præsentibus, Manducate & bibite. *An illis verbis præceptum dedit generale, quo omnes Christianos obligaret? Nihil minus. Vbi ergo, inquies, præceptum dedit, si ibi non dedit? Responsio in promptu est. Si quæritur præceptum de utraque specie: nusquam dedit. Si de Eucharistia, abstrahendo ab una vel utraque specie: dedit illis verbis, Iohan. 6. 53.* Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Vbi iterum notanda est insignis adversariorum impudentia. Nam in his ipsis verbis,* Nisi manducaveritis, &c. *ubi revera præceptum est: præceptum non agnoscunt. In illis autem,* Bibite ex hoc omnes, *ubi præceptum non est, præceptum esse contendunt. Quid agas cum hoc hominum genere? Nimirum, contradictionis spiritum habent.*

BAL-

BALDUINUS.

Ex sententia Becani nullum Sacramentum institutum est pro Laicis, ante passionem.

Hic demum prodit asinus auriculas. In verbis Institutionis mandatum contineri negat pro Laicis, ne quidem de una specie accipienda: Sic ergo nullum prorsus Sacramentum Cœnæ institutum est pro Laicis, in ea nocte qua traditus est Christus. Excluduntur itaque tot Imperatores, Reges, Principes, Comites, Barones, tot myriades populorum atque nationum, & quotquot rasi atque uncti non sunt, ab hoc tam pretioso thesauro, turpiter rejiciuntur, quem veteres tot elogijs exornarunt, tam diligenter commendarunt, tanquam Pharmacum immortalitatis, viaticum morientium, medicinam ægrorum, vim animæ nostræ, nervum mentis, vinculum fiduciæ, &c. Utuntur Laici Sacramento quod ipsis in ipsa Institutione præceptum non est: imò utuntur Sacramento prorsus alio, quàm Apostoli, cujus usus non ea nocte quâ traditus est Salvator, sed anno integro ante præceptus fuit: jam ergo Christus in Apostolis & mistellis Laicis divisus est, ipsi quoque inter se divisi sunt, neque de Apostolis & Laicis verum est, quod D. Paulus scribit, 1. Cor. 10. v. 17: Unus panis, unum corpus, multi sumus omnes

qui de uno pane participamus. Novum quoq; Teſtamentum quod in inſtitutione Cœnæ diſtributione ſanguinis ſui ex parte hominum ſancitum eſt, in remiſs: peccatorum, nihil ad Laicos; nihil ad nos omnes, ſi præceptum illud ſolos concernit Apoſtolos: Ita privamur non modò parte Sacramenti; ſed ipſo fœdere, quod Sacramento ſancitum & obſignatum eſt. Jam vapulat ſanctiſſimus Apoſtolus, qui Corinthijs commẽdare audet inſtitutionem Domini ea nocte factam, qua traditus eſt, & in ea corporis Chriſti manducationem, & ſanguinis Chriſti bibitionẽ mandatam eſſe tradit omnibus, qui invocant nomen Domini; cum tamen illud præceptũ, illa inſtitutio, Apoſtolos duntaxat obligaret? Macte Jeſuita aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, ſi vis eſſe aliquid. Aperite tandem oculos, miſelli Laici, & agnoſcite ſpiritũ novellorum Monachorũ. Ne tamen abſq; præcepto videatur Laicis obtrudere Sacramenti ſumtionem, ablegat eos ad cap. 6. Joh. de quo ſæpe diximus, & ſufficienter probavimus, quod non de Sacramentali ſed ſpirituali manducatione loquatur, & ſic ad Euchariſtiam non pertineat. Sed vide mihi, quid faciat meus Becanus;

Ait, illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: non præcipi utriusque sed unius speciei sumtionem. At quid clarius de utraque specie quàm hoc, ubi & *carnis* seorsim & *sanguinis* seorsim; & *manducationis* seorsim, & *bibitionis* seorsim fit mentio? quid est cæcutire, imò excæcatum esse, si hoc non est? quòd si maximè verba hæc ad unius speciei præceptum vel crinibus traxeris; edisserere, quæso, cur non solius sanguinis sumtionem præceptam esse dicas, sed carnis: utriusque enim æqua fit mentio? Præterea, si neque hîc, neque in institutione ipsa utriusque speciei communicatio præcepta est: cujus jussu, vel quo tandem præcepto vestri Clerici utramq; sibi sumunt speciem? eo fortasse, quod in sumario Romani Pontificis nudiustertius natum est. Nimirùm *coguntur multa male interpretari qui unum nolunt rectè intelligere*, dicebat olim Irenæus; & tandem insanire oportet, qui contra veritatem & sapientiam summam perguntdesipere. Utrum autem in verbis Cœnæ imperativis, *Bibite ex hoc omnes*; præceptum sit, nec ne, & penes quem sit contradictionis spiritus,

judicent

judicent quicunque voluerint: non dubito, Becane, quin intempestiva ista tua indignatione etiam tuis hominibus risum moveris.

BECANUS.

Iterum instant: Ipsemet Christus X E *alibi fatetur, se omnibus dicere, quidquid dicit Apostolis, juxta illud Marci 13,37.* Quod vobis dico, omnibus dico. *Atqui Apostolis dixit,* Bibite: *Ergo omnibus hoc dixit. Omnes ergo tenentur usurpare calicem. Respondeo. Et hic apertè fucum faciunt adversarii, truncando verba Christi. Ipse enim sic dixit;* Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. *Hanc particulam,* vigilate, *omittunt illi boni viri, ex qua tamen sensus totius sententiæ pendet. Non enim est hic sensus;* Omnia simpliciter, quæ vobis dico, omnibus dico. *Nam multa dixit Apostolis, quæ omnibus non dixit: ut Matth. 26.* Omnes vos scandalum patieminii in me, in ista nocte. *Et Joh. 6. 70.* Nonne ego vos duodecim elegi, & ex

vobis unus diabolus est? *Sensus erg*
hic est; Quod dico vobis, ut vigil
tis, hoc omnibus dictum volo. O
mnes enim debent vigilare, ne mo
imparatos inveniat. Omnes debent
mitari virgines prudentes, juxta illu
Matth. 25. 13. Vigilate itaque, qui
nescitis diem neque horam.

Baldvinvs.

Media salutis Apostolis & nobis omnibus sunt communia.

Scimus utique, Apostolis multa es
dicta, præsertim quæ munus ipsorum A
postolicum concernunt, quæ ad alios a
plicari non possunt: interim tamen
hoc verum est, unam esse apud Deum r
tionem salutis ac justificationis nostra
eadem etiam media atque organa, eun
dem modũ, tam quò ad Apostolos quàm
quoad fideles. Idcirco, quemadmodu
omnibus vigilantia atque cura opus es
ne à Diabolo circumventi gratia Dei fid
& salute excidant; ita omnibus adæqu
ijsdem medijs opus est, quibus in fide cõ
firmari, in pugna contra Diabolum an
mari, & ad salutem conservari queant
inter quæ media non postremum est Eu
chariſtiæ Sacramentum. Quam ob cau
Marc. 13. sam non malè dictum illud, *Quod vobis d*
o

to, omnibus dico, ad negotium Sacramenti accommodatur: Apostolos enim alia habuisse Sacramenta quàm nos, vel institutionem aliam, vel usum alium prolixa & forti probatione indiget: imò lusus & sarcasmus diaboli est.

BECANUS.

Quarta objectio sumitur ex illo 1. Corinth. 11. 23. XII. Ego enim accepiá Domino, quod & tradidi vobis, &c. *Vbi Apostolus ostendit utramq; speciem, non solum ex Christi institutione, sed etiam ex Apostolica traditione, præceptam esse. Hoc enim significat illa particula*, Tradidi vobis. *Vnde fit tale argumentum; Omnis traditio Apostolica est servanda: sed est traditio Apostolica de utraque specie: Ergo servãda est. Respondeo. Adversarii omnia confundunt. Sanè hæc tria*, institutio, traditio, præceptum, *omninò distincta sunt. Fateor utranque speciem à Christo institutam esse; fateor utranque ab Apostolo traditam: Nego, utranque jure divino præceptam esse.*

Et quidem, quod institutio differat à præcepto; multis exemplis probatum est cap. 1. Quod autem traditio & præceptum non sint idem, ex eo patet, quia Apostoli multa tradiderunt primis Christianis, quæ tamen præcepta nobis non sunt. Et ne longè abeam, ex eodem loco Pauli probari id potest. Sic enim habet in fine citati capitis; Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet. *An putant adversarii contineri hic præceptum, quod omnes obliget? Sat scio, non tam scrupulosos esse.*

BALDUINUS.

Institutio includit præceptum.

Frivolam esse distinctionem inter Institutionem & præceptum in negotio præsertim Sacramentario, suprà fuit demonstratum. Includit enim Institutio obligationem ad id, quod institutum est. Et quid prodest institutio absque præcepto? nemo itaque uteretur Sacramento, si nullum in institutione extaret præceptum de usu. Traditio differt à præcepto si merè humana est: tales enim traditiones

Traditio & præceptum quando differant.

nes non obligant conſcientiam, quales quamplurimæ ſunt in Papatu: Si autem traditio fundamentum habeat præceptũ divinum, tum eſt inſtar præcepti divini. Ita D. Paulus in negotio Cœnæ non ſua conſilia proferre audet; ſed Domini præceptum, Accipite, edite, bibite, ejus juſſu & mandato allegat & inculcat. Paulina igitur traditio eſt ipſius Chriſti mandatum, cui ſine tergiverſatione obtemperãdum eſt. Deinde traditio Apoſtolorum ſcripta non eſt merè humana, ſed præceptum divinum obligans conſcientiam: ideò D. Paulus 1. Cor. 11. v. 1. præcepta & traditiones ſuas habet, ut παραδόσεις: *ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Præpoſtera enim ratio eſt, quòd Monachi exiſtimant, traditiones Papæ Romani, puta, de communione ſub una ſpecie, de purgatorio, de abſoluta Eccleſiæ poteſtate, &c. abſque vulnere conſcientiæ & periculo anathematis violari non poſſe: & tamẽ Apoſtolicas traditiones verbo ſcripto comprehenſas tam facilè contemni debere, quaſi neminem obligent. Audiant hîc *Cyprianum Epiſt. 74. ad Pomp. Si aut in Evangelio præcipitur aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut in Actibus continetur, obſervetur di-*

vina hæc & sancta traditio. Concedimus autem Apostolum multa ordinasse pro privatis Ecclesiis, quæ nos non concernunt, illos tamen quibus tradita erant, obligabant ad obedientiam. Probent autem Adversarij, talem particularem traditionem esse de communione utriusque speciei, quam tam frequenter inculcat Apostolus, non modò Corinthiis, sed & omnibus qui invocant nomen Domini in OMNI LOCO. 1. Cor. 1. v. 2. Sanè quod ritum illum attinet, de quo in fine capitis 11. agit Apostolus, ille nobis æquè observandus est, ac Corinthijs. Non enim debet ex Sacramento Cœnæ commune fieri epulum, ubi famis aut sitis restinguendæ gratia conveniatur. Est enim esca animæ non corporis, impinguans mentem non ventrem, inquit D. Hieronymus.

BECANUS

XIII. *Præter hæc scripturæ loca, quæ hæ-*

Vide Plesæum lib. 1. de Eucharistia c. 10. pag. 127. linea 46.

tenus allata sunt, audent etiam prosferre pro utraq; specie, quod dixit Christus Matth. 19. 6. Quod Deus conjunxit, homo non separet. *At qui Deus, inquiunt, conjunxit utranq; speciem: Ergo Pontifex non potest unam ab altera*

tera separare. Respondeo. Ex iis, quæ hactenus allata sunt ab adversariis, satis constat, nihil eos solidi adferre posse. Verum ex hoc loco, planè apparet aut insanos, aut insigniter petulantes esse. Quæ enim connexio est; Homo non potest separare virum ab uxore: Ergo non potest communicare sub una specie? *Si sic pergant, sine dubio persuadebunt, nullum reum, quantumvis sceleratum, nullam feram, pecudem, piscem aut avem necari ab homine posse. Quare? quia quod Deus conjunxit, homo non separet: sed Deus conjunxit animam cum corpore, tam in hominibus quàm in cæteris animantibus: Ergo nemo potest animam separare à corpore, ac proinde nullum vivens interficere. Sed relinquamus has ineptias, quæ planè indignæ sunt homine Christiano. Miror autem, adversarios hujusmodi præsidiis se tueri.*

BALDUINUS.

Etsi Plessæus meo non indiget patrocinio: attamen non possum non, amore veritatis fateri, quod mihi videatur, te ist-

hæc cavillandi ſtudio ex ipſius de Euchariſtia libro adduxiſſe: Non enim argumentum ita format, quemadmodum à te proponitur, ſed alludit ſaltem ad illum Domini locum. Ita enim habent ejus verba: *Tertullianus ſequitur* (inquit) *Neq; hic ſane nobis autor erit, ut quod Deus conjunxit, divellamus.* Videt pius Lector quomodo ea afferantur: Tu verò, Becane, cogita quale ſit argumentum Eccij veſtri ex petitione quarta precationis Dominicæ: Panem ſuperſubſtantialem da nobis hodie: ergo Laici tantùm ſub ſpecie panis accipiant Euchariſtiam. Aut illud alterum ejuſdem Eccij de poſteris Heli, quibus ob maledicta & ſcelera, una tantùm pars ſacerdotalis conceditur: Ergo Laici fideles unam tantùm Sacramenti ſpeciem accipiant. Riſum teneatis amici: imò indignationem. Benè igitur feciſſes, ſi trabem hunc in oculis tuorum animadvertiſſes: ita illud de ſeparatione eorum, quæ Deus conjunxit, tantopere te non moviſſet. Sanè quæ non niſi à Deo divelli poſſunt, de ijs rectè illum locum uſurpari quis negaverit? licèt generale dictum ad conjugium à Chriſto applicetur. Probent autem Pontificij, vel Pontificem

Egregium Eccij argumentum pro communione ſub una, in Enchirid. pag. 109.

sem Romanum, vel quemvis alium hominē ſpecies Sacramenti divellere poſſe; quas Chriſtus in uſu Sacramenti arctiſſimè conjunctas voluit. Sed non eſt opus diutius hic ineptijs in reſeria inhærere: Potiora fuiſſent argumenta ex Inſtitutione prima & Paulina repetitione, ad quæ reſpondendum fuiſſet: ſed ex ungue Leonem, ſeu potiùs, ex alis ſuis ſcarabæum hactenus ſatis ſuperque agnovimus. *Si cum peditibus currens laboraſti; quomodo contendere poteris cum equis? Ier. 12, v. 5.*

CAP. XI.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

BECANUS.

SIcut adverſarii fruſtra in ſcripturis quæſiverunt præceptum Chriſti de utraque ſpecie: ſic fruſtra quærunt in Patribus. Nec tamen minorem conatum hic adhibent, quàm ibi. Nam, ut cæteros omittam, Pleſſæus Calviniſta lib. 1. de Euchariſtia cap. 10. diſcurrens per ſingulas penè ætates, à temporibus 1.

Apostolorum ad nos usque, quotquot potest, corradit Patrum testimonia, pro utraque specie confirmanda. Sed vel nihil, vel parum ad rem; quod illi homini familiare est. Semper enim extra statum & scopum quæstionis vagatur. Quæstio inter nos & adversarios, non consistit in eo, an utraque species fuerit olim in usu; sed potiùs, an fuerit in præcepto? Patres, qui à Plessæo citantur, significant fuisse in usu, quod libenter concedimus (sicut etiam una species fuit in usu, ut supra ostendi) non tamen dicunt fuisse in præcepto, de quo disputamus. Sunt tamen pauci, qui videntur hoc insinuare, de quibus breviter & sigillatim dicendum est.

Balduinus.

Ita quidem hodie disputatur, postquam per Concilium Tridentinum mutata quadrata rotundis, & in disputationibus religionis licentia omnia invertendi, introducta fuit: In Concilio Constantiensi & Basiliensi hæc aliter disputaban-

bantur. Sed quidquid ſit, de iſta permutatione ſtatus; certum eſt, hoc extra litem NON ESSE, an utraque ſpecies olim fuerit in uſu. Nam in publica & ordinaria Euchariſtiæ diſpenſatione unius duntaxat ſpeciei uſum fuiſſe: nullo hactenus exemplo probatum fuit: Quicquid enim productum fuit, id vel ab hæreticorum vel mulierculaꝝ privata conſuetudine mutuò ſumtum eſt. Acceptamus igitur, quod fateris, Becane, patres teſtari, utriuſque ſpeciei uſum in primitiva Eccleſia fuiſſe: ita enim iterum concidit, quod ſuprà ſatis imprudenter aſſerebas, *ante annos mille & amplius, publicè in Eccleſia tam Orientali quàm Occidentali* USITATAM *fuiſſe communionem ſub una ſpecie*: Refragantur enim tot ſancti Patres, quotquot hic reſpondere non potes, imò ne conaris quidem; quales ſunt præter Apoſtolum Paulum, Ignatius, Clemens Alexandrinus, Dionyſius Areopagita, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus & Auguſtinus, qui omnes populum ad calicis uſum hortãtur, quia ſit unus ille ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, & unus calix, qui pro nobis omnibus diſtributus eſt, ut Ignatius loquitur in Ep. ad Philadelphum,

qui-

quique in recordationem sanguinis sui à Christo distributus est, ut Justinus habet in Tryphone.

BECANUS.

Omissis ergo Patribus, qui tantum de usu loquuntur: inter cæteros, qui videntur loqui de præcepto, primo loco objici potest Cyprianus, qui in sermone de cœna Domini, sic habet; Nova est 11.
hujus sacramenti doctrina, & scholæ Evangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & Doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ authoritas districtissimè interdicit. Lex quippè esum sanguinis prohibet: Evangelium præcipit, ut bibatur. *Respondeo. Hoc testimonium Cypriani planè destruit doctrinam Calvinistarum, & nostram confirmat. Vnde miror à Plesseo adductum esse. Hoc ostendo dupliciter. Primo, quia astruit veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia: quam Calvi-*

Calviniſtæ negant. Nam Cyprianus dicit, Chriſtianos bibere ſanguinem Chriſti. Calviniſtæ dicunt, non bibere eos ſanguinem, ſed figuram ſanguinis Chriſti, nempè vinum Sacramentale. Quod autem Cyprianus loquatur de vero ſanguine, & non de figura ſanguinis, patet ex antitheſi, quam facit. Ait enim Judæis in veteri lege fuiſſe prohibitum, ne biberent ſanguinem: Chriſtianis autem in Evangelio præceptum eſſe, ut bibant ſanguinem. Hoc ſanè non poteſt intelligi de figura ſanguinis, ſed de vero ſanguine. Nam ſi agatur de figura ſanguinis, fatentur Calviniſtæ, non minus Judæos bibiſſe ſanguinem Chriſti in figura Agni paſchalis, & aquæ ſalientis è petra: quã Chriſtiani bibant ſanguinem Chriſti in figura vini. Huc enim ſpectat, quod Pleſſæus ait l. 4. de Euchariſtia cap. 1. pag. 653. in fine, Dicemus idem de Paſchate & cœna dominica. In utroque corpus & ſanguis Domini comeduntur & bibuntur. *Neceſſe ergo*

eſt,

est, Cyprianum loqui de vero sanguine: ac proinde ex sententia Cypriani, verum sanguinem Christi præsentem esse in Eucharistia: quod Calvinistæ negant. Hoc confirmatur ex eodem Cypriano, qui ibidem sic habet; Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro. *Quid clarius contra Calvinistas? Potuisset addere;* Vinum istud, quod Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatum, omnipotentia verbi, factum est sanguis. *Longè aliter Calvinistæ. Panis & vinum, inquiunt, nec effigie, nec natura, mutata sunt, sed tantum significatione: nec facta sunt caro & sanguis, sed figuræ carnis & sanguinis.*

Jam vero, cum Cyprianus ait; Lex esum sanguinis prohibet; Evangelium præcipit, ut bibatur: *iterum contra adversarios facit, non contra nos. Nam præceptum, de quo loquitur, non fundat in illis verbis,* Bibite

ex

ex hoc omnes; *in quo adversarii illud fundant; sed in illis,* Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *At hæc verba, ut suprà ostendi, continent quidem præceptum de manducatione carnis, & bibitione sanguinis Christi: non tamen de utraque specie. Et hoc ipsum sentit Cyprianus. Cum enim citasset illa verba;* Nisi manducavcritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem: *paulò post subjecit;* Potus & esus ad eandem pertinent rationem. *q. d. idem est manducare Christum, & bibere Christum. Qui ergo manducat Christum sub una specie, non solum mãducat carnem, sed etiam bibit sanguinem ipsius: ac proinde præcepto Evangelico, de quo loquitur Cyprianus, perfectè satisfacit.*

BALDUINUS.

Ad Cypriani locum nihil prorsus respondere potes, Becane. Esto enim ita, uti contra Plessæum ex isto loco disputas,

tas, pro præsentia sanguinis Christi in Cœna; in quo non repugno, nisi quod transsubstantiationem quandam introducere conaris, eò quòd Cyprianus, mutationis mentionem facit, ubi tamen non mutationem substantiæ; sed usus intelligit, quòd nimirum ex pane vulgari factus est in mensa Domini panis Sacramentalis: secus si intelligeretur, τύπον ὑγιαινόντων λόγων hic desideraremus, sed nihil hoc ad propositam quæstionem. Vides enim Cyprianum urgere præceptum Evangelij, ut sanguis à fidelibus Christianis bibatur. Atqui dicis; præceptum illud non fundatur in verbis institutionis, sed in cap. 6. Johan. Nisi manducaveritis, &c. Sed quid tum postea: si maximè hoc tibi largiemur: sufficeret, alicubi præceptum esse calicem usum omnibus, ubi, ubi tandem præceptum illud reperiatur, obligaret nihilominus Christianorum omnium conscientias. Sed arbiter esto ipse Cyprianus, Is ait, *Evangelium præcipit, ut bibatur*: & iterum: *bibimus de sanguine Christi* IPSO JUBENTE. Ubi verò præcepit Evangelium? ubi jussit hoc Christus, mi Cypriane? Respondet ipse:

Nobis

Nobis, pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliavit Deo omnes excedens victimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit ut non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti anima muniremur, &c. Cypr. serm. de Cœna Domini mihi pag. 452.

Audis Christum hoc usssisse, quando ut pincerna porrexit hoc poculum, nimirum Sacramentale poculũm: id quod nõ Joh. 6. sed anno post, in institutione Sacramenti factum esse certum est. Digitum ergo intendit haud obscurè ad verba institutionis, ubi porrecto calice dixit, Accipite, bibite ex hoc omnes. Quòd autem idem sit, manducare Christum & bibere Christum, frivolum esse suprà satis superque demonstratum fuit; neque hoc Cypriano in mentem venit. Is enim quando scribit, potus & esus ad eandem pertinet rationem, non rationem Sacramentalem sed spiritualem respicit, non substantiam Sacramenti & ejus usum, sed fructus salutaris perceptionem: quæ adæquè fit bibitione, quàm manducatione. Ita enim habent verba Cypriani:

Potus & esus ad eandem pertinent rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia, & vivit, & incolumis perseverat : ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur, & quod est esca carni, hoc animæ est fides : quod cibus cori, hoc verbum spiritui, &c. Non dicit, utriusque speciei unam eandémque esse perceptionem : contradicit enim Institutio, quæ corpus cum pane, sanguinem cum vino sumere jubet : sed utramque speciem esse alimentum spirituale. Manet itaque autoritas Cypriani inconcussa, Evangelium sanguinis Dominici usum præcipere : idem alibi docet, poculum ad bibendum in Ecclesia populum Domini JURE COMMUNICATIONIS admittendum esse : jure communicationis, inquit, notans non decorum aliquod aut in dultum Ecclesiæ, sed vim institutionis, in qua talis communicatio præcepta est.

Cypr. Epist. 54. ad Cornelium.

BECANUS.

IV. *Secundo objicitur Chrysostomus homil. 18. in posteriorem Corinthiacam, ubi ait ;* Est autem, ubi nihil differt Sacer-

Sacerdos à ſubdito, ut quando fruendum eſt horrendis myſteriis. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non ſicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Sed nunc non ſic: verum omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum. *Reſpondeo. Nulla hic fit mentio divini præcepti de utraque ſpecie. Nec Chryſoſtomo propoſitum fuit, eo loco, de tali præcepto diſputare. Hoc ſolum egit, ut aſſignaret differentiam inter veterem & novam legem, quoad ſacrificia utriuſque legis. Nam in veteri lege, nec Sacerdos, nec populus gaudebat toto ſacrificio: ſed unam illius partem ſacerdos, alteram populus comedebat. In nova lege non ita res habet. Totum ſacrificium, quantum quidem ad victimam, quæ offertur, attinet, æquè à populo, æquè à Sacerdote participatur.*

Vtrique, tam populo, quàm sacerdoti, totus Christus, secundum carnem & sanguinem, manducandus & bibendus proponitur. Quis hoc neget? Nec aliud vult Chrysostomus.

V. *Vt tamen res melius intelligatur, notandum est, in lege Mosaica fuisse triplex sacrificium, nempe holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Holocaustum erat omnium perfectissimum, quia totum cremabatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Hostia pro peccato partim cremebatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Hostia pacifica dividebatur in tres partes, quarum prima cremabatur: altera cedebat sacerdotibus: tertia populo offerenti. Et quidem Sacerdotibus cedebat pectusculum & armus dexter, de quo non licebat populo manducare. Hoc igitur est, quod dicit Chrysostomus*; Partem Sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem esse eorum.

eorum, quorum particeps erat Sacerdos. *Non sic in nova lege. Christus est victima, totus populo, totus sacerdoti porrigitur.*

Quod autem addit Chrysostomus; VI.
Omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum: *Non debet intelligi de speciebus sacramentalibus, sed de ipso Christo, qui offertur. Non enim sensus est, omnibus Christianis, tam Laicis, quàm sacerdotibus, proponi eandem speciem panis, & eandem speciem vini: quia hoc falsum est, cum singuli accipiant singulas partes panis & vini consecrati, inter se realiter & numero distinctas: sed, omnibus proponi eandem Christi carnem, & eundem sanguinem: ita ut sacerdos nihil carnis aut sanguinis percipiat, quod non etiam percipiant Laici. Et in hac re ponit discrimen inter novi ac veteris testamenti sacerdotes & populum.*

BALDUINUS.

Lubricus es, Becane, & veritate constrictus, ignoras, quò te vertas. Vides

enim, Chryſoſtomum expreſſe dicere, in Novo Teſtamento omnibus unum corpus proponi & poculum unum, non partem victimæ ſed totam victimã, id quod in Veteri teſtamento non fiebat. Hoc tu libenter eo torqueres, quaſi de Chriſto tantùm agatur, quem ſub qualibet ſpecie totum accipi fingis, non autem de ſpeciebus Sacramentalibus. Sed annon audis Chryſoſtomum diſtinctè loqui de propoſitione corporis & POCULI? quorſum opus fuiſſet poculi facere mentionem, ſi unà cum corpore ſanguinem quoque in Sacramento participari credidiſſet? ſimilia habet Chryſoſtomus in cap. 19. Johan. *Tremendus hic* CALIX (audis ſpeciem nominari, non ipſum Chriſtum) *pari cunctis conditione traditus eſt*: Item: *quãdo accedes ad* POCULUM *communionis ſanguinis Chriſti* (audis iterum ſpeciem ſeu ſymbolum, unà cum ſanguine conjungi) *ſic te compara, quaſi ex latere ipſius bibiturus.* Et in Pſal. 33. *Non amplius ſolis Sacerdotibus divinus cibus deſtinatus eſt: verum hæc* DIVINORUM *communicatio omnibus proponitur.* Audis iterum non Chriſti ſed *Divinorum* mentionem fieri, divinorum nempe ſymbolorum. Scivit enim Chryſoſtomus

mus totum Christum in Sacramento exhiberi omnibus. Scivit autem etiam ex Institutione, distincta esse symbola divina, cum quibus distinctæ partes in Christo distinctè etiam sumantur. Melius igitur tibi consuluisses, si dictatoriam tuam NON DEBET *intelligi de speciebus Sacramentalibus*, domi continuisses: non enim credimus Chrysostomi animam in te migrasse, ut dictare nobis possis, quomodo DEBEAT Chrysostomo intelligi etiam invito & reclamante ipso. Frivolum autem profectò est, quod addis de partib. panis & vini consecrati realiter & numero distinctis. Etsi n. symbolorum partes ita distinctæ sunt, ut quam partem unus edit, alter edere non possit: Symbolorum enim manducatio est Physica: tamen longè alia est ratio corporis & sanguinis Christi, quæ non particulatim accipiuntur: sed sumit unus, sumunt mille, quantum *hic* tantum & ille, nec sumtus consumitur; manducatio enim hic est Sacramentalis & mystica, ὡσὲρ νῦν, ὡσὲρ λόγον, ὡσὲρ πᾶσαν καταλήψιν. Et licèt symbola, quo ad partes sint distincta, ut eam partem panis, quam hic accipit, alter non accipiat: tamen quoad speciem di-

ſtincta non ſunt. Nam de uno pane participamus omnes, ait D. Paulus 1. Cor. 10. v. 17.

BECANUS.

VII. *Tertio objicitur Leo Papa ſerm. 4. de quadrageſima, ubi de Manichæis ita ſcribit;* Ore indigno Chriſti corpus accipiunt: ſanguinem autem redemtionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi, à ſanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur. *Reſpondeo. Adverſarii duobus modis hic peccant in citando Leone. Primo, quia Leo his verbis confirmat veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, quã ipſi negant. Secundo, quia non condemnat communionem ſub una ſpecie in Catholicis, qui eam legitimè tunc uſurpabant: ſed in Manichæis, qui ex ſacrilega ſuperſti-*

tione

tione abstinebant à calice, ut supra capite quinto ostensum est.

Consulatur historia illius temporis, VIII.
quæ sic habet. Excisa per Genſericum Africa, Manichæi, qui inde ejecti erant, sub specie pietatis & Catholicæ religionis, in Italiam irrepserunt: & plerique Romam ingressi, volentes suam hæresin occultare, inter Catholicos habitabant, & cum iis publicè sub una specie communicabant; ut hac ratione pro Catholicis haberi & tolerari possent. Igitur Leo, cum primum factus est Pontifex, statim adjecit animum ad eos penitus extirpandos. Vsus est autem variis mediis. Nam primum pro concione instruxit cives Romanos, quàm nefanda essent Manichæorum dogmata & sacrilegia. Secundò, dedit eis manifestũ signum, quo à Catholicis discerni possent: asserens illos, qui semper abstinerent à calice, pro Manichæis: qui aliquando, pro Catholicis habendos esse. Tertiò hortatus est populum, ut si alicubi scirent occultari Ma-

nichæos, statim eos detegerent, & Ecclesiastico magistratui manifestarent. Quarto, convocavit Concilium Episcoporum, in quo, præsente Clèro Romano, & multis Senatoribus, Manichæorum sacrilegia publicè detecta & examinata sunt. Quinto, scripsit ad vicinos Italiæ Episcopos, ut & ipsi serio laborarent in extirpandis Manichæis, si qui forte apud illos occultè latitarent. Hæc omnia patent ex ipso Leone, præsertim serm. 4. de collectis serm. 4. de quadragesima, serm. 7. de Natali Domini, serm. 4. de Epiphania, serm. 5. de jejunio decimi mensis, & epist. 93. cap. decimo sexto.

IX. *Hinc Prosper in Chronico, commendat illum his verbis;* Hoc tempore plurimos Manichæos intra urbem latere, diligentia Papæ Leonis innotuit: qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinem & damnare fecit & prodere, incensis eorum codicibus, quorum magnæ

magnæ moles fuerunt intercepræ. Quæ cura viro ſancto divinitus, ut apparet, inſpirata, non ſolum Romanæ urbi, ſed etiam univerſo orbi plurimum profuit: ſiquidem confeſſionibus in urbe captorum, qui doctores eorum, qui Epiſcopi, quíve presbyteri, in quibus provinciis vel civitatibus degerent, patefactum eſt. Multique Orientalium partium Sacerdotes, induſtriam Rectoris imitati ſunt. *Vide plura apud Baronium tomo 6. annalium Eccleſiaſticorum, circa annum Chriſti 443. & ſequentes.*

X. *Quarto objicitur Gelaſius Papa, qui apud Gratianum cap. comperimus, de conſecrat. diſt. 2. ſic habet;* Comperimus, quòd quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio, quoniam neſcio quaſuperſtitione docentur obſtringi, aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur:

qua

quia divisio unius & ejusdem mysterij, sine grandi sacrilegio non poterit provenire. *Respondeo. Hæc objectio est similis præcedenti. Et jam supra cap. 5. notavi, Gelasium reprehendere eos tantum, qui ex superstitione abstinebant à calice, cujusmodi erant occulti Manichæi. Cætera vide loco citato.*

BALDUINUS.

De his omnibus sufficienter & prolixè egimus suprà, notis in cap. 5. th. 3. 4. 5. &c. nec opus est eadem sæpius repetere. Ea quæ de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia subinde inculcas, Calvinianis occine, nos non feriunt. Hoc unum ad ea quæ suprà dicta sunt hic adjicio: Si Leo Pontifex tot habuit modos exterminandi Manichæos; quorsum opus fuisset toties in gratiam hæreticorum institutionem Sacramenti mutare, jam unam jam utramque speciem Sacramenti concedere? Annon alio indicio deprehendi potuissent? Quis Pontifici eam dedit potestatem mutandi Sacramentum Christi quoties visum fuerit? hæc non

est

est ratio producendi hæreticos è latibulis. Sed non est opus his immorari? supra sat evidenter docuimus, & ex Andradio Tridentinorum paterculorum nonpostremo ostendimus, usum unius speciei inter Leonem in usu non fuisse, & verba Leonis magis significare, nõdum ea tempestate calicis hauriendi morem fuisse antiquatum. Gelasij quoque Canonem à Baronianis subterfugijs satis superque vindicavimus. Judicet jam æquus Lector, numquid Becanus quatuor horum patrum, quos ipse, prætermissis quamplurimis alijs majorum gentium testimonijs, laudavit, autoritates vel tantillum labefactaverit, nedum everterit.

CAPUT XII.

Solvuntur objectiones ex ratione.

BECANUS.

ADversarij, ut in re desperata fieri solet, undecunq; possunt, quærunt subsidia pro utraq; specie, ut oppugnent 1.

Catho-

Catholicos. Sed, ut sæpè dixi, frustra. Certè objectiones, quas desumunt ex ratione, ejusmodi sunt, ut & nostram causam vehementer confirment, & illorum reddant deteriorem. Sunt autem hæ.

BALDUINUS.

Capra nondum peperit, & hædus ludit in tectis. Sed oportet Rhetorum adhibere splendida exordia, ubi desunt Logicorum argumenta : & juxta Fabij præceptum, extenuanda sunt, quæ refutari non possunt. Verumenimverò sustinebimus hunc etiam agonem, audituri, quid contra rectam rationem insaniat ratio philtro illo Apocalyptico dementata.

BECANUS.

II. *Prima sumitur ex figura veteris testamenti, hoc modo; Omnes Hebræi in deserto biberunt aquam de petra, juxta illud 1. Corin. 10. 4.* Omnes eundem potum spiritualem biberunt. *Ergo etiam omnes Christiani in deserto hujus vitæ debent bibere sanguinem Christi. Sequela patet ex illo 1. Corinth. 10. 6.*

Hæc

Hæc autem in figura facta ſunt noſtri. *Reſpondeo. Hoc ipſo argumento cõvincam adverſarios. Nam ſi aqua de petra fuit figura Euchariſtiæ: ſine dubio, fuit aqua ſacramentalis. Vel ergo ſumebatur cum cibo ſacramentali, vel ſola. Si ſola: favet uni ſpeciei, non duabus. Si cum cibo ſacramentali: quis ille fuit? Nuſquam legimus in tota Scriptura, Hebræos cum biberent aquam de petra, ſumpſiſſe ſimul ex præcepto divino, cibum aliquem ſacramentalem.*

BALDUINUS.

Argumentum hoc non niſi ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ τύπου à noſtratibus in hoc negotio uſurpatur: & per inſtantiam opponitur argumento Pontificiorum, de Manna, quã typum fuiſſe dicunt Euchariſtiæ. Nos objicimus, etiam aquam petræ in deſerto ad typum Sacramenti à nonnullis referri. Non autem ſequitur collectio Becani, ſi typus eſt Sacramenti; ergo fuit aqua Sacramentalis: non enim neceſſe eſt τύπον & ἀντίτυπον convenire ſpecie, ſufficit convenire genere, ita aqua petræ potus eſt, ſanguis Chriſti

Christi itidem potus : ille naturalis hic Sacramentalis. Sic manna, panis Melchisedeci, panes propositionis, panis subcineritius Eliæ, &c. ex sententia Pontificiorum, fuit typus Sacramenti, nemo tamen dixerit, cibum fuisse Sacramentalem; sanatio ænei serpentis erat typus sanationis, quam habemus à Christo; non tamen fuit sanatio animæ, sed corporis, & sic de alijs infinitis. Quo observato concidit tota structura in thes. 2.

BECANUS.

III. *Addo, si generatim loquamur de figuris Eucharistiæ, plus nobis eas patrocinari, quam adversariis. Hoc sic ostendo. Catholici agnoscunt has figuras. 1. panem & vinum Melchisedech. 2. panes propositionis. 3. panem subcineritium Eliæ. 4. Manna. 5. Aquam de petra. 6. Agnum paschalem. 7. Sacrificia Mosaica. Omnes hæ, exceptâ primâ, repræsentant Eucharistiam sub una specie. Adversarii autem non agnoscunt primam figuram. Ergo, secundum adversarios, nulla est figura, quæ repræsentet utranque speciem. Nam*

panes

panes propositionis, panis subcineritius, & Manna, repræsentant speciem panis. Aqua de petra, repræsentat speciem vini. Agnus paschalis & sacrificia Mosaica sumebantur à Laicis per modum cibi tantum. Quid ergo reliquum est Lutheranis, & Calvinistis pro utraque specie? Nihil, nisi panis & vinum Melchisedech. At huncipsum panem & vinum volunt fuisse prophanum, non sacramentalem.

BALDUINUS.

Etiamsi nulla esset figura Veteris testamenti, quæ repræsentet utramque speciem: consideret tamen pius Lector, quid hoc institutioni & præcepto Christi de sumtione utriusque speciei derogare possit. Quales autem sint figuræ ab Adversariis allegatæ, & quàm egregiè ad Sacramentum applicari queant, cuilibet pio perpendendum relinquo: si ingenio ludere liberet, diceret aliquis fortasse animi gratia, agnum Paschalem & sanguinem agni fuisse figuras utriusque speciei, item panem & vinum Melchisedeci, item lac & vitulum Abrahami, quem tribus

Angelis apud se divertentibus paraverat. Sanguinem sanè agni Paschalis typum fuisse sanguinis Christi in ara mactati, autor est *Gregorius Magnus* hom. de Pascha: *Quid sit sanguis agni*, inquit, *non jam audiendo sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumquè postem ponitur, quando non solùm ore corporis; sed etiam ore cordis hauritur.* Et *Ambrosius* lib. 4. de Sacram. cap. 3. *Augustinus* lib. 17. de civitate Dei cap. 17. & lib. 4. de doct. Christ. cap 21. panem & vinum Melchisedeci typum Eucharistiæ agnoscunt, sed non est nobis integrum in re seria jocari: neque opus est typorum umbris, ubi dilucidam habemus institutionis divinæ demonstrationem. Facessat igitur tota hæc de utriusque speciei repræsentatione disputatio. Eam enim ex Veteris testamenti locis aliquot eruere non esset difficile, si quid ad veritatis indagationem faceret.

BECANUS.

IV. *Cum autem inferunt adversarii, sicut Hebræi biberunt aquam de petra, sic Christianos debere bibere sanguinem Christi: libenter id concedimus. At inde non convincitur necessitas utriusq; speciei*

peiei. Nam, ut sæpè dictum est, Christiani non solum manducant carnem Christi, sed etiam bibunt sanguinem ipsius, quotiescunque communicant sub una specie: quia totus Christus secundum carnem & sanguinem, non minus sub una, quàm sub utraque specie continetur.

BALDUINUS.

Quid sæpe dixeris, ad nauseam usque audivimus; & quod respondimus, non est, ut iterum atq; iterum ingeminemus. Valeat hic Institutio Sacramenti, facessat rationis delirium, & cuilibet facile apparebit, quomodo Christus integer equidem in Sacramento adsit, & tamen corpus ejus sub pane tantùm, & sanguis sub vino duntaxat accipiatur, plura non addam: hæc suprà copiosè sunt explicata.

BECANUS.

Secunda objectio sumitur ex institutione & exemplo Christi, ad hunc modum: Christus in ultima Cœna instituit & distribuit Eucharistiam sub utraque specie, panis & vini: Ergo nos eodem modo debemus distribuere. V.

Respondeo. Quid si regeram & dicam: Christus in Emaus distribuit Eucharistiam sub una specie: Ergo nobis eodem modo licet distribuere. Vel sic: Christus in ultima cœna instituit & distribuit Eucharistiam post alios cibos, & lotis prius pedibus: Ergo adversarij debent idem facere. Cur ergo vesperi non communicant? & cur pedes ante communionem non lavant? cur non parent præcepto Christi dicentis; Johan. 13. 14: Et vos debetis alter alterius pedes lavare? *Sed, non est necesse ad hanc solutionem confugere. Jam suprà dixi, aliud esse institutionem: aliud præceptum. Christus instituit Eucharistiam sub utraque specie: non tamen præcepit utranque speciem. Sicut instituit officium prædicandi, baptizandi, ordinandi, peccata remittendi ac retinendi: & tamen Laici apud adversarios non ideo putant, se divino præcepto ad ista obligari. Vide supra cap. 1.*

BALDUINUS.

Familiare hoc est Adversario meo,

ut

ut ipsi in cardine rei verba ferè deficiant, quibus in minutioribus alias non destituitur. Vidimus ejus facundiam in priore nostra instantia: nunc ubi ad sedem huius controversiæ ventum est, aqua hæret. Et revera invictæ veritatis argumentum est, quòd contra cardinem rei nulla solidiora, quæ quidem speciem aliquam veri habeant, invenire potuit προφυγία. Studium ipsi non defuisse non dubito: sed defecit in ipso conatu. Regerit, Christum in Emaus distribuisse Eucharistiam sub una specie: at quo fundamento? vides Lector. Nullo. Vide supra, notam ad thes. 3. cap. 3. Scribit Christum distribuisse Eucharistiam, lotis prius pedibus: quod falsum est: aliàs sequeretur Judam Ischariothen non interfuisse sacræ Cœnæ, quia post lotionem pedum, accepta offa, egressus scribitur Joh. 13. D. Lucas autem testatur, cum Christus sacram Cœnam instituit, manum proditoris sui cum ipso fuisse in mensa Luc. 22, v. 21. Quòd autem eosdem ritus & circumstantias nõ observamus, quæ in prima Cœna à Christo fuerunt observatæ, suprà dictum est, fieri hoc ex libertate Ecclesiæ, quam habet in ceremonijs, non autem in substan-

tialibus Sacramenti. An in institutione contineatur præceptum, vide supra in Notis ad cap. 1. Mirum autem est, Becanum in fine hujus paragraphi adeò ineptire, ut institutionem ministerij cum institutione Sacramenti conferat. Scire enim debebat, Sacramentum institutum esse pro omnib. hominibus, siquidem pro omnibus corpus in mortem traditum, pro omnibus sanguis Christi effusus est: Ministerium autem pro Laicis institutum non est: Ergo Laicos etiam obligare non potest: obligat autem divino præcepto, ad munia ista exequenda, omnes, qui in ministerio sunt, aut esse volunt: de quibus omnibus suprà loco dicto.

BECANUS.

VI. *Tertia sumitur ex ratione testamenti. Christus in ultimâ Cœna, cum videret se brevi moriturum, condidit solenne testamentum, quo omnibus Christianis, tanquam filiis adoptivis, legavit carnem & sanguinem suum, titulo hæreditatis, ut patet Lucæ 22. 20. Ergo Catholici, qui negant Laicis sanguinem, & jubent sola carne contentos esse,*

se, sunt violatores testamenti, & privant Christianos altera parte hæreditatis sibi debitæ. Respondeo. Catholici hoc non faciunt, sed Lutherani & Calviniſtæ. Nam Catholici totum Christum, secundum carnem, sanguinem, animam rationalem & divinitatem, exhibent Laicis sub una specie. Calviniſtæ nihil istorum, sed tantum externa signa carnis & sanguinis: perinde, atq; illi, qui codicillos porrigunt hæredibus, & universam substantiam dissipant. Lutherani, qui negant totum Christum sub una specie contineri: quid aliud, suo judicio, quàm mortuam carnem sub specie panis, & mortuum sanguinem sub specie vini, exhibere possunt communicantibus?

BALDUINUS.

Qualis hæc sit responsio, æquus Lector iterum judicet. Quid codicillus hujus Testamenti complectatur, vide suprà notam ad thes. 10. cap. 6. & quàm arrox sit calumnia de mortua Christi carne, vide itidem notam ad thes. 7. cap. 6. Interim tantùm hoc quæro, quo jure

Sacrificuli Cacolyci unam Sacramenti partem bis accipiunt, primùm ſub pane, deinde ſub vino: quia ex hypotheſi Pontificiorum ſub qualibet ſpecie totus Chriſtus accipitur. Perinde mihi facere videntur, ac ſi quis partem hæreditatis incommuni legatam, bis acciperet, primũ in veſtibus aut poculis, deinde in parata pecunia. Ita ſacrificuli alteram partem Sacramenti bis accipiunt, ſicuti hactenus ad oculum demonſtratum fuit. Viderint itaque an non ad ſe ſolos rapiant, quod cæterorum quoque eſt, quos nefarie defraudant: id quod vulgò ſacrilegium vocant.

BECANUS.

VII. *Quarta ſumitur ex fine hujus Sacramenti. Finis illius eſt, commemoratio mortis Chriſti, ad quam tenentur omnes fideles, juxta illud* 1. Cor. 11. 24. Hoc facite in meam commemorationem. *Et paulo poſt;* Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. *At mors Chriſti non poteſt integrè*

grè significari & repræsentari per unam speciem: Ergo sicut tenemur ad commemorandam Christi mortem: ita etiam ad utrang; speciem percipiendam. Respondeo. Hic syllogismus habet duo vitia. 1. quia constat quatuor terminis. Nam in majori propositione ponitur commemoratio mortis Christi; *in minori*, repræsentatio. *Hæc autem valdè inter se differunt. 2. quia ex Apostolo contra Apostolum concludit. Nam ex Apostolo sumit, omnes fideles in sumptione sacramenti Eucharistiæ debere memores esse mortis Christi, quod verum est. At contra Apostolum concludit, ad commemorationem mortis Christi, necessariam esse utrang; speciem. Nam una sufficit, secundum Apostolum. Hoc patet ex ipso textu. Cum enim de una specie dixisset;* Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: *immediatè subjunxit;* Hoc facite in meam commemorationem. *Et rursum cum de altera dixisset;* Hic

calix Novum testamentum est in meo sanguine: *iterum immediatè subjunxit*; Hoc facite, quotiescunque biberis, in meam commemorationem. *Ergo secundum Apostolum, unaquæque species per se sumpta, sufficit ad commemorationem mortis Christi. Vnde si ex vitioso adversariorum syllogismo, fiat probus ac Legitimus: planè contra ipsos concludemus, hoc modo; Omnes fideles, in sumptione Eucharistiæ, tenentur ad commemorationem mortis Christi: sed commemoratio mortis Christi, potest fieri per unam speciem, ut ex Apostolo ostensum est: Ergo per unam speciem satisfit obligationi. Quid apertius?*

BALDUINUS.

Quatuor terminos videre tibi videris hoc argumento: at quæso purga conspicilia, & non nisi tres animadverses: tale enim est argumentum.

Quod ad commemorationem mortis Dominicæ pertinet, id in Sacra Cœna ab omnibus est accipiendum: quia

quia commemoratio mortis Dominicæ ab omnibus exigitur.

Atqui ad commemorationem mortis Dominicæ non tantùm panis, verùm etiam calicis sumtio pertinet.

Ergo in sacra Cœna panis & calix est accipiendus.

Deinde: quòd Apostolus utrique speciei addit commemorationem mortis Dominicæ; id confirmat nostram sententiam. Non enim unius, sed utriusque speciei usurpatio ad commemorationem mortis Dominicæ requiritur: ideo commemoratio unicuiq; speciei additur; non quòd quælibet sufficiat, sed quod unaquælibet requiratur. Non enim corpus tantùm in mortem traditum, sed & sanguis effusus, utrumq; in nostram salutem factum est: ergo & utriusque grata fit commemoratio.

BECANUS.

Sed, ne tergiversentur adversarii, exemplo domestico rem explicabo. Quidam vir nobilis ab hoste captus, & in vincula conjectus est, cum amissione bonorum omnium. Imperator liberat illum à vinculis; & ut tanti beneficij VIII.

memor

memor sit, novo beneficio illum afficit. Nimirum, ex mensa Imperatoria, perpetuam annonam illi constituit in pane & vino: ut quotiescunque manducandum aut bibendum est, prioris beneficij memoria illi occurrat. His quæro ab adversariis, an Nobilis ille non possit recordari beneficij Imperatoris, si sumat panem sine vino, aut etiam, si sumat vinum sine pane? Potest utiq;. Sive enim utatur solo pane, sive solo vino; semper illi in mentem venit, Imperatoris beneficio se vivere & sustentari. Simile est in nostro proposito. Eramus capti ab hoste humani generis & in carcerem compacti. Christus sua morte & passione liberavit ac redemit nos. Vt tanti beneficij memores essemus, novo beneficio cumulare nos voluit. Non panem & vinum, sed carnem & sanguinem suum, sub specie panis & vini, in perpetuā alimoniam nobis reliquit. Sive ergo manducemus carnem & bibamus sanguinem illius sub specie panis tantum: sive sub specie vini tantum: sive

sive sub utraque: parum interest. Semper enim occurrit cogitatio, alieno beneficio nos vivere, manducare, bibere.

BALDUINUS.

Simile non est idem: & hic quidem claudicat in eo, quòd in Testamento Christi peculiarem habemus cautionem, quòd sub pane corpus, sub vino sanguis sit accipiendus: alias Sacramentum nullum, testamentum nullum, commemoratio mortis Christi nulla est. Complectitur enim commemoratio illa non nudam historiæ memoriam, sed veram fidem, quòd Christus semetipsum pro nobis tradiderit, quòd verè mortuus sit, corpus obtulerit in ara crucis, sanguinem ibidem effuderit, & non una duntaxat parte sui, sed & corporis traditione in mortem, & sanguinis effusione vitam & salutem adquisiverit: quòd insuper sacrosancti pignoris loco in sacra Cœna corpus & sanguinem suum manducandum ac bibendum sub pane & vino reliquerit ac cõmendarit. Hæc omnia complectitur commemoratio mortis dominicæ, vi Institutionis Christi, cui perpetuò inniximur, qua cum careat, simile allatum ficulneum est & stramineum.

BECA-

IX. *Porro, quod supra adjeci, commemorationem mortis Christi, differre ab ejus repræsentatione, tametsi notum sit, breviter etiam explicandum est. Et persistam in exemplo allato. Nobilis ille, qui ab Imperatore liberatus à carcere, est, variis modis excitari potest ad recordationem beneficii in se collati. Primo, si, ut jam dictum est, annona illi constituta sit in hunc finem, ut quoties manducat aut bibit, benefactoris sui recordetur. Secundo, si memoriæ causa, in libello, qui quotidiè in manibus sit, Imperatoris liberalitatem descriptam habeat. Tertio, si effigiem, quæ Imperatorem repræsentet, ex collo gestet, aut domi affixam conservet. Omitto alios modos. Nam hi tres ad rem explicandam sufficiunt. Igitur in tribus illis modis, ubique cernitur commemoratio beneficij: in solo tertio, repræsentatio. Et rursum, in tertio modo, commemoratio oritur ex repræsentatione. Nam hoc ipso, quod is, qui beneficio affectus est, intuetur imaginem sui benefactoris;*

quæ

quæ illum repræsentat, non potest non illius meminisse, si animo præsens est. Facilè hæc ad propositum applicantur. Variis modis possumus recordari beneficij, quo Christus redemptor sua morte nos affecit. Primo ex perceptione sacramenti Eucharistiæ, quod in eum finem à Christo institutum est. Secundo, ex lectione Evangelij, in quo mors & passio ejus describitur. Tertio, ex aspectu imaginis Christi, quæ ipsum, aut passionem ejus repræsentet. Vides, opinor, quo pacto repræsentatio diversa sit à commemoratione.

Atque ex his, quæ clara & aperta sunt, infero, Catholicos in commemoranda Christi morte, multo diligentiores esse, quàm adversarios, præsertim Calvinistas. Nam Catholici, non solum ex perceptione sacramenti Eucharistiæ, vel lectione Evangelij, sed etiã ex aspectu imaginis Crucifixi, recordatur beneficij à Christo in se collati. At Calvinistæ jampridem Christi imaginem è suis templis, addo etiam ex animis, proscripserũt

& exturbârunt. Sed de hoc alibi. Prosequamur reliquas adversariorum objectiones.

BALDUINUS.

De repræsentatione non agimus hoc loco, licèt ratione fructus analogiam aliquam agnoscamus in effusione vini è calice & sanguinis Christi ex ipsius latere, quo sensu haud dubiè suos hortabatur Chrysostomus, ut salutarem sanguinem reputent, quasi è divino & impolluto latere effluere, *homil. de Eucharistia.* Commemoratio verò mortis Christi in Sacramento vi verborum institutionis in utriusque speciei communicatione consistit: siquidem non tantùm corporis traditio, verùm etiam sanguinis effusio ad mortem Christi pertinet: utriusque ergo renovanda est memoria: utriusque etiam requiritur usurpatio. Alia potest fieri mortis Christi commemoratio, quacunq; in re, hic autem de Sacramentali commemoratione, juxta Christi institutionem quæstio est. Igitur hæc duo, commemoratio mortis Christi quotidiana seu vulgaris, & commemoratio mortis Christi Sacramentalis, non sunt confundenda.

BECA-

XI.

Quinta objectio sumitur à simili. Silicet auferre Laicis unam partem Eucharistiæ : licebit etiam auferre unam partem Baptismi. At hoc non licet : Ergo nec illud. Respondeo. Partes sacramentorum sunt duplices : aliæ substantiales seu essentiales : aliæ solùm integrantes. Priores non licet auferre ab ullo sacramento. Nec Catholici hoc faciunt. Posteriores licet auferre. Nam in Baptismo, ex tribus mersionibus possunt duæ tolli : Vna enim sufficit. Et in Eucharistia, ex duabus speciebus potest auferri altera. Hoc Christus fecit in Emaus : Christiani tempore Apostolorum : & alii deinceps, ut supra ostensum est. Nos idem facimus. Porro, adversarij in hoc genere audaciores sunt. Tollunt ipsi, non solum integrantes, sed etiam essentiales partes Eucharistiæ. Et quidem Calvinistæ tollunt carnem & sanguinem Christi : & sola symbola externa relinquunt Laicis : Lutherani, à specie panis tollunt sanguinem, animam rationalem, Divinitatem : & solam

carnem exſanguem & exanimem ſibi reſervant. Plus dico: Adverſarii non ſolum partes Sacramentorum, ſed integra tollunt ſacramenta. Ex ſeptem, quæ Eccleſia Catholica cum Auguſtino agnoſcit: vix duo vel tria illis ſuperſunt. Sed nolo hic hærere.

BALDUINUS.

Duæ diſtinctæ ſymbolorum ſpecies in Euchariſtia non ſunt partes ſaltem integrantes ſed eſſentiales Sacramenti: Ita enim à Chriſto fuit inſtitutum, ut duo ſint in hoc Sacramento ſymbola, cum quibus corpus & ſanguis ſuus diſtincte diſtribuatur, quorum alterutrum ſi deficit, Sacramentum ipſum deficit, quod una in ſpecie non eſt Sacramentum: careret enim inſtitutione: quod enim Chriſtus in Emauntico diverſorio unam ſpeciem inſtituerit, ut ſuprà dicebas, inauditum hactenus παράδοξον eſt: quod unam ſpeciem vel ipſe vel Apoſtoli ſuſtulerint impudens adſertio eſt nondum probata, uti ſuprà vidimus. Porrò ſi duo ſymbola partes integrantes ſunt Euchariſtiæ, ſequetur, eam etiam in ſolo vino abſque

pane

pane celebrari posse, quod hactenus nondum ausi fuerunt Pontificij : & in una specie saltem consecrari posse, quod non concedunt Patres Tridentini. Si partes integrantes sunt, sequitur ergo, Eucharistiam sublato calice esse mutilam & mancam : & hoc est crimen illud, quod Pōtificijs πολυευκλειωλαις intendimus, quod Sacramentum mutilum, mancum, imperfectum, verbo ac institutione carens proponunt ac dispensant misellis suis Laicis. Puerilis illa cavillatio, quod Lutherani à specie panis tollant sanguinem, animam rationalem, divinitatem, & c. refutatione non est digna : supra ea de re egimus aliquoties ; notetur hic saltem, qualem Cœnam habeant Pontificij, in qua nimirum & anima & divinitas Christi comedatur: quod ex absurdo concomitantiæ dogmate sequi oportet. De numero Sacramentorum non est hic disputandi locus, viderint autem quomodo Matrimonium Sacramentum nominent, quod Siricius Papa opus carnale vocare non dubitavit : & à quo Sacramento sanctissimum illum ordinem hominum, si Deo placent, sacrificulos suos, arcent.

Talia nimirum habent Sacramenta, quibus interdum Laici sunt indigni, Clerici longe sanctiores. Stolidus ergo fuit Christus, sapientia illa Patris æterni, qui in institutione discrimen inter Clericos & Laicos non observavit.

BECANUS.

Sexta sumitur ab incommodo. Si potest Laicis negari una species, poterit negari & altera: & sic nihil habebunt. Respondeo. Hoc non sequitur: ut patet in simili. Non enim rectè colligis: Si in baptismo potest tolli una mersio, poterit etiam altera & tertia tolli. Deinde, præceptum Christi est, ut sumamus Eucharistiam, quocunque modo id fiat. Non autem præceptum est, ut sumamus sub utraque specie. Potest ergo una species negari: non tamen potest Eucharistia negari. Sicut in simili, potest omitti una aut altera mersio: non tamen potest baptismus omitti. Aut, si vis exemplum magis accommodatum: Non potest integrè omitti omnis cibus

&

& potus corporalis, quia vita ſuſtentanda eſt: poteſt tamen è duabus ſcutellis omitti una, ſi in altera ſufficiens nutrimentum eſt. Cum igitur ſub ſpecie panis ſit totus Chriſtus, totum nutrimentum, tota alimonia; quid tantopere neceſſe eſt, alteram adhibere? Et hoc pro Catholicis dixero. Quid porro pro ſe dicent Calviniſtæ, qui quidem duas ſcutellas, ſed omnino vacuas, ſine omni cibo & potu obtrudunt eſurientibus & ſitientibus? id eſt, qui externa tantum ſymbola panis & vini exhibent: & omnem Chriſti carnem ac ſanguinem, quo noſtras animas nutriri oportebat, è medio tollunt? Hæc hactenus.

BALDUINUS.

Ab una merſione in Baptiſmo argumentari ad ſumtionem unius ſpeciei in Euchariſtia, eſt argumentum à baculo ad angulum. Nam una vel trina merſio Baptiſmi inter ceremonias indifferentes referenda eſt, utriuſque ſpeciei ſumtio in ſacra Cœna ad ſubſtantiam Sacramenti,

ut sæpe dictum fuit. Hujus præceptum in ipsa institutione qui non videt, eum data opera cæcutire, necesse est. Geminum enim ibi habemus Christi præceptum. 1. *Hoc facite*, nimirum, quod ipse faciebat: Ipse verò distribuebat panem & calicem omnibus suis communicantibus: idem ergo in administratione Sacramenti hodie fieri voluit. 2. *Bibite ex hoc omnes*, quod ad communicantes expresse dictum est: quod qui negaverit, præceptum Christi esse, nullo negotio etiam negare poterit præceptum Christi esse; venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis Matth. 11. aut illud: petite & dabitur vobis, quærite & invenietis Luc. 11. aut illud: Nolite judicare, nolite condemnare, remittite, date &c. Luc 6. &c. Sed nolo in re manifestâ prolixior esse.

CAPUT XIII.

Omnino igitur in Catholicorum sententia persistendum est.

BECA-

BECANUS.

EX iis, quæ hactenus dicta sunt, duæ rationes deduci possunt, cur in Catholicorum sententia persistendum sit. I.
Prior est, quia Catholici, qui defendunt usum unius speciei, habent pro se exemplum Christi, Apostolorum, & totius antiquitatis usq; ad nostra tempora. Habent pro se duo solidissima fundamenta, quibus tueri se possunt. Vnum, quia Christus non minus sub una, quam sub utraque specie, totus & integer continetur. Alterum, quia non minor fructus ex una, quam ex altera percipi potest. Adversarii vero, qui urgent necessitatem utriusque speciei, nullum possunt in Scripturis invenire præceptum de utraque specie: in illo quærendo, penitus inter se dissident: nullo Patrum testimonio subnixi sunt: nullo solido argumento suam sententiam stabilire possunt. Imo, ut hactenus visum est, suis ipsorum argumentis confixi ac refutati sunt.

BALDUINUS.

Quam solidè hactenus communicatio sub una specie defensa fuerit; qualia sint ista duo fundamenta; quàm certa, quam firma; constat ex ijs, quæ ordine ad singula respondimus; ex quibus omnibus judicium homini pio candidequè judicanti liberrimum permitto. Quem & propter animæ suæ salutem oro & obtestor, diligenter isthæc omnia pensitet, secumque in timore Domini consideret, num conscientia hominis plebeij rationibus illis pacari queat, ut jam convictus sit, se altera specie Eucharistiæ contentum calice Dominico abstinere posse. Quod si cogitaverit, cur non adæquè sacrificuli pane contenti sunt, aut cur non alterius duntaxat speciei usus introducitur, cur interdum liber relinquitur, interdum principibus & magnatibus, alijsque ditioribus permittitur: si sub una specie totum & integrum Christum accipiunt? Quod si cogitaverit, an non calicis tantum usus introduci posset, relicto pane, nam & sub ista specie totus Christus adesse dicitur? imò cur non totum Sacramentum abrogatur? nam in verbo &

Baptismo

Baptiſmo totus Chriſtus continetur. Si urſerit conſcientia Inſtitutionem Domini, in qua non ſaltem edere, ſed & bibere jubemur; ſi urſerit repetitionem Pauli Apoſtoli ad ſuos Corinthios, quibus utriuſq; ſpeciei uſum diligenter commendavit: quid quæſo ad hæc omnia dicturi ſunt Adverſarij? Num ſufficeret cramben recoctam toties apponere: *tamen adeſt Chriſtus ſub qualibet ſpecie totus: tamen non minor fructus ex una quàm ex altera percipi poteſt?* Quid ſi negaret utrumque pius animus, & ſubinde nrgeret inſtitutionem, & juxta eam ſanguinem Chriſti pro ſe effuſum exigeret, deficiente autem illo, ſe præſtantiſſimo theſauro conſolationis, quam ex ſanguine Chriſti percipere poſſet, ſpoliari querularetur? certum eſt, hic omnibus ſacrificulis hærere aquam, & ex ſuis illis principijs aut fundamentis perturbatam conſcientiam tranquillam reddere non poſſe. Nihil hîc exaggerabo: qui pius eſt, hæc penſitet, & qui laicorum in Papatu ea de re querelas unquam audivit, hæc vera eſſe fatebitur. Non ſatis eſt, qualiacunq; conquirere φειζώματα ad tegenda pudenda

Thaidis Romanæ: consçientijs consulendum est; quibus nemo melius consulere potest in hoc negotio, quam Institutio Sacramenti à Christo facta, ea neminem fallit: consuetudo & autoritas Ecclesiæ fallere potest, & quamprimum à magisterio Magistri sui Jesu Christi recessit, turpissimè fefellit.

IL. BECANUS.

Posterior est: quia Catholici in asserenda communione sub unâ specie, nihil unquam dixerunt, quod offensioni aut scandalo esse possit. Adversarii verò, præsertim Lutherani & Calvinistæ, posteaquam usum uniius speciei oppugnare ceperunt, in manifestos errores prolapsi sunt. Lutherani asserendo corpus Christi sub specie panis contineri mortuum & sine sanguine: Calvinistæ, negando, ullam Christi partem sub specie sacramentali præsentem esse. Prudens Lector apud se æstimet, quos in hac re sequi tutius sit.

BALDUINUS.

Utrum hæc vera sint, quibus Becanus disputationem suam claudit, iterum pius

&

& æquus Lector æstimet: cogitet præterea qualia hæc sint adversariorum emblemata & flosculi ex mutilatione Sacramẽti, quam *communionem sub una* vocant, propullulantes: Laicos, quib. interdum usus calicis permittitur, in hac re non habere Christi præceptum. Christum bis instituisse Eucharistiam, semel sub utraque in diversorio Hierosolymitano, deinde sub una in diversorio Emauntico: Sacrificulos bis edere ac bibere Christum, & quidem sub pane bibere, sub vino manducare: Laicos & Clericos in applicatione beneficiorum Christi, quæ fit in Sacramento, divellere: consuetudinem privatorum quorundam hominum Institutioni Christi anteponere; propter periculum effusionis, propter longas virorũ barbas, propter paucos abstemios, propter metum, ne vinum acescat, totam fidelium Ecclesiam præstantissimo Sacramenti thesauro, in quo remissio peccatorum nobis applicatur, spoliare &c. Hæc & similia quamplurima ex doctrina Papistica, de communione Eucharistiæ sub una specie vel sponte sequi, vel per bonam consequentiam non difficulter elici, nemo piorum negaverit.

Quæ

Quæ omnia nos quoque prudenti & verè Christiano Lectori æstimanda relinquimus: qui probè secum deliberet, utrum malit in fallibilem Christi institutionem sequi, an novitiam & malo dolo introductam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem.

CHRISTUS JESUS, adsertor Sacramenti ac Testamenti sui optimus maximus, illuminet oculos cæcutientium, ut in isto Reipub. Christianæ meridie agnoscant solem veritatis, ne contumaciter ei reluctentur, aut sanguinem Testamenti polluant, in quo sanctificati sunt. Nos autem in luce veritatis conservet ad diem illum magnum & glorioſum, in quo non rationis humanæ argutiæ, non Ecclesiæ consuetudo aut malè affectata potestas dominabitur; sed verbum quod

Heb. 10.

Joh. 12.

locutus est Dominus judicabit eum, qui spernit ipsum, & non accipit sermonem ejus.

Chrysostomus.

Non ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis Ecclesiasticæ fundamenta relinquit. Nos ab illis eximus loco, illi à nobis fide. Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta scripturarum.

Hieronymus.

Non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate: Ecclesia ibi est, ubi vera fides est. Cæterùm ante annos quindecim aut viginti (nonaginta) *parietes omnes Ecclesiarum hæretici* (Hieronymo Ariani, nobis Pontificij) *possidebant: Ecclesia autem vera illic erat, ubi vera fides erat, &c.*

FIDE & PATIENTIA.

Namque fides vidua est, quam non
Patientia firmat.

Errata Typographica
sic corrigantur.

Pag. 13. lin. 18. lege, eorum. *p. 18. lin. 8.* Sacramentum. *p. 19. lin. 7.* includere. *p. 35. lin. 18.* αὐτημα. *p. 70. lin. 9.* à voluntate. *p. 72. lin. 1.* concionantis. *p. 79. lin. 18.* quæ prohibebat. *p. 80. l. 3.* Sacramentum. *lin. 17.* Cœna. *p. 81. lin. 20.* ſpecie. *p. 87. lin. 7.* totus. *p. 91. lin. 10.* ſcripſerunt. *p. 128. lin. 11.* ille. *p. 171. lin. ult.* excitata. *pag. 174. lin. 5.* quàm. *p. 180. lin. 15.* quos. *p. 205. lin. 18.* ſumptus. *p. 281. lin. 5.* his. *p. 288. lin. 19.* calicis. *p. 289. lin. 9.* urſiſſe. *p. 312. lin. 2.* accipiant.

VVittebergæ
Saxonum

Impensis PAULI HELWICHII
Bibliopolæ:

Excudebat JOH. GORMANNUS.



Anno Christiano

cIↃ. IↃ c. X.

10772183



ΙΧΝΟΓΡΑΦΙΑ THEOLOGIÆ:

Sive

DELINEATIO BREVIS ET ORTHODOXA LOCORUM THEOLOGICORUM FERE OMNIUM EX CATECHESI CHRISTIANÂ: hoc est: Symbolo Apostolico & Decalogo, naturalis methodi legibus per *Διχοτομίας* ita informata & duobus libris distincta, ut locorum communium dispositioni inservire posse videatur.

Cum Præfatione clariss. Theologi

D. D. POLYCARPI LYSERI, ECCLESIASTÆ ELECTORALIS Saxonici primarii:

Studiis privatis

JOHANNIS MATHSTADII LAUCHENSIS, CHRISTIIN Eccl. Zeugseltinâ, H.T. Ministri.

JENAE

Excudebat Tobias Steinman, Sumptibus Iacobi Apelij Bibliop. Lipsi.

M. DCVIII.

10772183

